Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Kirchmann

Johannis Kirchmanni Rudimenta Logicae Peripateticae : Antehac Pro Schola Lubecensi, Nunc vero In Aliarum Etiam Scholarum Usum

Correctius & locupletius editae, Lipsiae: Lipsiae: Cubahius: Wittigau, 1682

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778715884

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778715884/phys_0001
DFG

147 p Ind

1. a. 5.

E.c. 3217.

71

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778715884/phys_0002
DFG

JOHANNIS KIRCHMANNI
RUDIMENTA

LOGICÆ
PERIPATETICÆ,

Antehac
PRO SCHOLA LUBECENSI,
Nunc verò
IN ALIARUM ETIAM SCHOLARUM USUM
Correctiùs & locupletiùs editæ.

Sumptibus MICHAELIS CUBAHII
LIPSIÆ,
Typis viduæ JOHANNIS WITTIGAU.

M DC LXXXII.


Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

LOGICÆ PROLE-COMENA.

De Naturâ Logicæ.

LOGICA est habitus mentis organicus verum à falso distingvens.

Differt Logica à Dialecticâ, sicut totum à parte. Logica propriè totius artis nomen est; Dialectica tantùm Topicæ. Rhetorica est Dialecticæ propago, verborum amplificationibus exornata.

SUBJECTUM circa qvod occupatur, est omne Ens, non qvatenus Ens est, sed qvatenus illi secundæ notiones imponuntur.

(Notio duplex est: Prima & Secunda. Prima *(secundum Zabar.) est nomen statim rem significans, per medium animi conceptum, ut: Animal, Homo.* Secunda *est nomen primis illis nominibus impositum, ut: Genus, Species, Subjectum, Praedicatum & c. Zabar. lib. 1. c. 3.*

Partes sunt duæ; una COMMUNIS, qvæ est de Syllogismo in genere, ejusqve principiis: (Et hæc de Syllogismo agit ὁ ἀναλυτικός,

seu in abstracto.) Altera PROPRIA, de Syllogismo Apodictico, Dialectico & Sophistico. (Et hæc de Syllogismo agit ἐν πλατεῖ,) *Illam partem, quæ &* Formalis *dicitur, complexus est Aristoteles libro Categoriarum (quæ ut rectiùs intelligi possent, præmisit Porphyrus doctrinam Prædicabilium) libro de Interpretatione, & prioribus Analyticis: Hanc, quæ &* Materialis *dicitur, Analyticis posterioribus, Topicis & Elenchis Sophisticis.*

PARTIS COMMUNIS LIBER PRIMUS,

CAPUT I.

De Prædicabilibus.

PRÆDICABILIA, κατηγορούμενα, sunt tituli Vocabulorum Communium, qvi ostendunt, qvæ Vocabula. qvomodo aliis tribuantur.

Sunt autem qvinqve: Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens.

INDIVIDUUM, τὸ ἄτομον, non est Prædicabile, sed est nomen Proprium, aut res significata nomine proprio, sub certâ specie, seu

seu ostensa particulâ demonstrante, ut: *Alexander, Trojani belli Scriptor, hic homo.*

(*His accedit Individuum hypotheticum, cum aliquid sit singulare, quod in se suaque significatione, commune est, ut:* Filius Mariæ, *pro Christo.* 2. ὁ ἐξοχὴν *ut Apostolus, pro Paulo,* 3. *Vagum, per signum particulare ut: aliquis homo.*

Genus, γένος, est quod de pluribus (*a*) specie differentibus prædicatur in quæstione Quid est (*b*) ut: *Animal prædicatur de homine, equo, cane, & c. specie differentibus in Quæstione Quid est.*

(*b*) sc. confusè, indeterminatè.)

Genus est duplex; Summum & Subalternum. *Illud* semper genus est, quia aliud genus supra se non habet, ut *Substantia*: Hoc modò Genus respectu inferiorum, modò Species respectu superiorum, ut: *Animal respectu corporis viventis Species est; respectu hominis, Leonis, equi, est Genus.*

SPECIES, εἶδος, est quæ de pluribus (*a*) & differentibus numero (*b*) prædicatur in Quæstione Quid est (*c*) ut: *Homo, equus, leo. Nam homo de Platone, Aristotele, Cicerone prædicatur in Quid. Illa* verò numero differunt, *quæ natu-*

turam quidem eandem participant, sed accidentibus inter se sunt distincta; ut individua.

(a) Non semper actu, sed aliqvando potentia: ut Species μοναδικαὶ, qvales sunt Sol, Luna, Mundus.

(b) i. e. de unius tantùm speciei individuis.

(c) sc. immediatè, & completè.

Species est duplex: Specialissima & Subalterna. *Hæc* aliqvando etiam genus esse potest; *illa* verò semper manet Species, ut: *Homo animal, corpus. Hic Homo est Species specialissima; Animal est Species subalterna: Nam respectu hominis est Genus, respectu corporis est Species.*

DIFFERENTIA, διαφορά est, qvæ cùm Genere constituit certam Speciem, & de Specie prædicatur in Qvæstione Qvale qvid (a) ut: *Rationale cum animali constituit certam Speciem, videlicet hominem, & ostendit, qvalis sit Species.*

(a) In QVALE, sc. de Genere: In QVID verò de Specie.

PROPRIUM, ἴδιον est inclinatio, aut qviddam adjacens, qvo uni soli Speciei (a) semper & omnibus ejus individuis (b) inest, ut:

Incede-

Incedere erecto corpore, loqui, numerare, videre, capacem esse disciplinæ, sunt propria hominis. Sed de potentiâ hoc intelligendum, non de actu.

(a) sc. Specialissimæ, immediatè.

(b) sc. Mediatè, propter speciem.

Modi Proprii vulgò numerantur qvatuor.

Primi modi Proprium est, qvod uni soli Speciei convenit, sed non omnibus ejus Individuis, ut: *Philosophum, Jurisconsultum esse.*

Secundi modi Proprium est, qvod omnibus Individuis convenit, sed non soli speciei, ut: *Esse bipidem.*

Tertii modi Proprium est, qvod soli Speciei, & omnibus Individuis convenit, sed non semper, (a) ut: *Canescere competit soli homini, at non semper.*

(a) Verùm certo & definito tempore.

Qvarti modi Proprium est, qvod soli Speciei, & omnibus ejus Individuis semper competit, (a) ut: *Risibilem esse.* Atqve hoc qvarti modi Proprium speciatim & verè Proprium dicitur.

(a) sc. Potentiâ, non actu.

ACCIDENS, συμβεβηκὸς, est qvod ad est vel abest sine Subjecti interitu, ut: *Doctus albus, niger.*

Accidens est duplex: Separabile & Inseparabile.

Separabile est, qvod reipsâ & actu à sua Specie vel Subjecto, sine aliqvâ ejus mutatione, separari potest, ut: *Lætitia, tristitia, â corde.*

Inseparabile est, qvod non reipsâ, sed cogitatione tantùm à Subjecto suo separatur, ut: *Nigredo â corvo, albedo â nive.*

NB. *Differunt Accidens Prædicabile, & Prædicamentale* Prædicabile *est omne prædicatum, qvod est neq; Genus neq; species, neq; differentia, neq; proprium.* Prædicamentale, *qvicqvid non est substantia.*)

CAP. II.

De Anteprædicamentis.

LIbellus Categoriarum in tres partes dividitur; In τὰ πρὸ τῶν κατηγοριῶν, in τὰς κατηγορίας & in τὰ μεταῖς κατηγορίας, i. e. Anteprædicamenta, Prædicamenta & Postprædicamenta.

ANTEPRÆDICAMENTA sunt nihil aliud qvàm παρασκευὴ seu præparatio ad intelligentiam ipsorum Prædicamentorum necessaria.

Divi-

Dividuntur in tres Definitiones; Homonymorum, Synonymorum, & Paronymorum: duas Divisiones; unam Nominum, alteram Rerum: Et tres regulas; Homo generorum, Heterogeneorum, & Subalternorum. ΟΡΙΣΜΟΙ.

HOMONYMA vel Æqvivoca dicuntur, qvorum nomen solum est commune, qvæ verò juxta illud nomen essentiæ definitio est, diversa est; ut: *Gallus dicitur & de homine qui natione Gallus est, & de ave domestica.*

(*Æqvivocum est, vel* Æqvivocans, *videlicet ipsum Nomen commune, ut* canis: *vel* Æqvivocatum, *id est, Æqvivoci æqvivocantis significatum ut: Canis terrestris, marinus, cœlestis.*)

SYNONYMA vel Univoca dicuntur, qvorum & nomen commune est, & qvæ juxta illud nomen essentiæ Definitio est, eandem est, ut: *Homo & Leo unum nomen animalis atq; eandem definitionem recipiunt. Nam uterq; & animal est, & corpus sentiens.*

(*Univocum* Univocans *est, cujus nomen & definitio sunt communia, ut* Animal. *Univocum* Univocatum, *qvod cum pluribus æqvè participat nomen & definitionem Univocantis, ut: Homo, equus, Leo, Canis.*)

PARONYMA vel Denominativa dicuntur, qvæcunqve ab aliqvo disc repantia casu, juxta nomen illud, appellationem habent, ut: *à Fortitudine fortis, à Logicâ Logicus.*

(*In Paronymis spectanda* 1. Denominatum, *quod est Subjectum Accidente vestitum, ut: Paries.* 2. Denominans (*sc. primarium*) *est abstractum qvoddam, ut: Albedo.* 3. Denominativum *est concretum à denominante abstracto deductũ, ut: Albus. Sic: Plato, Doctrina, Doctus.*)

ΔΙΑΙΡΕΣΕΙΣ

Nominum vel τῶν λεγομένων, i. e. eorum, qvæ dicuntur, alia κατὰ συμπλοκὴν, juxta complexionem efferuntur, alia ἄνευ συμπλοκῆς, sine complexione. Hæc incomplexa, illa Complexa Logicis dicuntur.

Incomplexa sunt termini simplices, qvi ex pluribus dictionibus significativè non componuntur, ut: *Homo, equus, scribit, doctus.*

Complexa, qvæ ex pluribus terminis componuntur, ut: *Homo est mortalis. Equus currit.*

(*Complexum est triplex,* 1. *Re, seu significatione tantùm, ut:* Nemo *i. e. nullus homo.* 2. Voce *tantùm, ut: animal rationis particeps, i. e. Homo.* 3. Voce & re *simul, ut: Homo doctus.*)

Rerum τῶν ὄντων, i. e. eorum qvæ sunt

Qvæ-

Qvædam de Subjecto dicuntur, in Subjecto verò nullo sunt, ut: *Substantiæ universales, sive Genera & Species*, ut: Animal, Homo. Qvædam in subjecto sunt, de Subjecto verò nullo dicuntur, ut: *Accidentia Singularia; hæc albedo.* Qvædam de Subjecto dicuntur, & in Subjecto sunt, ut: *Accidentia Universalia, Color, Dulcedo, &c.* Qvædam neqve de Subjecto dicuntur, neq; in Subjecto sunt, ut: *Substantiæ Singulares, Cicero, Plato.*

(*NB. 1. Qvando dicitur in divisione* de Subjecto prædicari, *intelligitur Subjectum Logicum: Qvando verò dicitur*, Esse in Subjecto, *intelligitur Subjectum physicum.*

2. Dici de Subjecto, *est essentialiter de inferiori prædicari, ut, Genus de Specie, Species de Individuo.* Esse in Subjecto, *est Subjecto inhærere, ut Accidens.*)

KANONES.

Prima Regula est de Homogeneis: Cum alterum de altero dicitur, tanqvam de subjecto, qvæcunq; de Prædicato dicuntur eadem qvoqve dici poterunt de Subjecto, ut: *De Socrate homo dicitur, de homine animal, ideó de Socrate qvoq; animal dicetur.*

Altera est de Heterogeneis, Heterogeneo-

generorum, & qvorum alterum sub altero non collocatur, differentiæ (sc. divisivæ) qvoqve sunt Specie diversæ, ut: *Animalis & saporis Differentiæ sunt diversæ; qvia hic est in prædicamento Qvalitatis, illud in prædicamento Substantiæ.*

Tertia de Subalternis. Subalternorum generum nihil vetat easdem esse differentias, (sc. constitutivas.) ut: *Hominis differentia Specifica est, rationale esse. Sed qvia Homo sub animali continetur, & hoc de illo dicitur, animalis qvoq; differentia competet homini nempe sensitivum esse; & qvia animalis genus est corpus, corporeum esse qvoq; eidem rectè tribuitur.*

CAP. III.

De Prædicamentis.

PRÆDICAMENTA sunt ordines generum & specierum (sub uno genere generalissimo, qvod aut Substantiam aut Accidens significat.

Sunt decem: Substantia, Qvantitas, Qvalitas, Relatio, Actio, Passio, Qvando, Ubi, Situs, Habitus.

SUB-

SUBSTANTIA, οὐσία, est Ens, qvod habet proprium esse & sustinet accidentia, (b) per qvæ mens humana Substantiam agnoscit.

(b) (*Est descriptio Substantiæ Logicæ, & Prædicamentalis: Hæc etenim Accidentibus subsistat & à Substando ita dicitur.*)

Estqve duplex: Prima & Secunda. Prima est, qvæ neqve de Subjecto ullo dicitur, neqve Subjecto ulli inest, ut: *Petrus, Socrates, Bucephalus, hic asinus, & reliqva individua.*

Secundæ sunt, qvæ de Subjecto dicuntur, licet in Subjecto nullo sint, & in qvibus primæ (a) insunt, ut: *Species & genera, videlicet Homo, Animal.*

(a) (*Dicuntur Substantiæ primæ in secundis esse, sc. ut angustiora in suis communioribus: aliàs rectè dicuntur Secundæ inesse in Primis fundamentaliter, & secundum essentiæ perfectionem & complementum.*

Proprietates Substantię sunt qvatuor.

I. Substantiæ non sunt in subjecto, ut accidentia, sed ipsæ sustinent accidentia.

II. Substantia non recipit magis aut minus, (a) ut: *Hercules non est magis homo qvàm Paris, licet accidentibus plurimùm differant.*

(a) *i. e.*

(a) (*i. e. Nullus terminus substantialis potest de-Substantia cum Magis & Minus prædicari.*)

III. Substantiæ nihil habent contrarium, ut: *Ignis non est contrarius aquæ, ratione substantiæ; sed qvalitatis, puta caloris.*

IV. Est verò Substantia capax contrariorum, (sc. Contingentium) ut: *Idem homo modò calidus esse potest, modò frigidus.*

Substantia.

- *Corporea: Corpus*
  - *Simplex: Cœlum, Stella, Elementum,*
  - *Mixtum*
    - *Imperfectè meteorum*
    - *Perfectè, idq;*
      - *Inanimatũ: Fossilia.*
      - *Animatum*
        - *Sentiens: Anaimal.*
          - *Rationale: Homo Plato.*
          - *Irrationale: Brutum.*
        - *Non sentiens: Planta.*
- *Incorporea: Spiritus.*

QVAN-

QVANTITAS, τὸ ποσὸν est magnitudo rei, vel numerus.

Est duplex; Continua & discreta.

Continua est magnitudo, cujus partes communi aliqvo termino copulantur, (b) ut: Linea, Superficies, Corpus; præter hoc verò Locus & Tempus.

(b) *Communi termino copulari est, cum unius partis initium, alterius extremum est.*

Linea est longitudo sine latitudine & profunditate, cujus extrema sunt duo puncta.

Superficies est longitudo & latitudo sine profunditate, cujus extrema sunt lineæ.

Corpus est longitudo, latitudo & profunditas, cujus extrema sunt superficies.

Locus est superficies corporis continentis locatum.

Tempus est mensura durationis rerum.

Discreta est multitudo, cujus partes communi aliqvo termino non copulantur, ut Numerus & Oratio.

Numerus est multitudo ex unitatibus sollecta, ut: *Duo, tria, qvatuor.*

Oratio est multitudo vocum.

Proprietates qvantitatis sunt qvatuor:

I. Qvan-

I. Qvanto nihil est contrarium, (a) ut: *Linea lineæ non est contraria.*

(a) *Sc. qua tale est: Per accidens verò æstas contrariatur hyemi.*

II. Qvantitas non recipit magis aut minus (b) sed majus & minus, ut: *Una linea non est magis Qvantitas qvàm alia, sed potest esse major.*

(b) *Sc. Continua, per se considerata, non per accidens.*

III. Ex qvantitate res dicuntur æqvales vel inæqvales, pares vel impares, ut: *Vir viro æqualis est ratione staturæ: Grex ovium alter alteri par est ratione numeri.*

IV. Qvantitatum per se nulla est efficacia: *Non ergò Evangelium Johannis, & alia figuræ collo suspensæ possunt mederi certis morbis.*

QVANTITAS.

Continua: magnitudo	Discreta: multitudo seu numerus
Linea, Superficies &c.	Binarius, Centenarius
Hæc, illa.	Hic, ille.

QVALITAS, τὸ ποιὸν, est secundum qvam qvales (c) aliqvi (d) dicuntur.

(c) *Dicitur QVALES in plurali, nam res plures per unam Qualitatem dici possunt Quales. V.*

G. Se-

G. Socrates, Plato, Aristoteles dicuntur Philosophi, à qualitate, sc. Philosophia.

(d) Hac voce notatur Substantia Particularis & prima, cui omnia Accidentia præcipuè insunt, ut Subjecto: secundis, secundariò.

Ejus species sunt qvatuor : Habitus & Dispositio ; Naturalis Potentia & Impotentia : Passio & Passibilis Qvalitas ; Figura & Forma.

Habitus, ἕξις, est qvalitas firma, qvâ promptum est ejus subjectum ad aliquid facilè agendum, ut : *virtus ars, vitium.* Hic qvia altius insedit, ægrè exuitur.

Habitus est qvadruplex:

1. *Concreatus : ut Justitia originalis hominis integri ; virtutes in angelis, qvas cacodæmones amiserunt.*

2. *Congenitus sive connatus : ut Peccatum originale in homine corrupto.*

3. *Infusus, isq;* vel *in anima ; ut Notitia rerum futurarum in Prophetis donum linguarum & miraculorum in Apostolis spes & charitas in credentibus :* vel *in corpore ; ut sanitas miraculosa in leproso.*

4. *Acqvisitus seu curâ partus ; isq;*

- VEL *corporis: ut Ars jaculatoria; item sanitas exercitatione & medicamentis comparata.*
- VEL *Animi; hic habitus est vel*
  - *Moralis: ut Fortitudo, Temperantia, Justitia, &c.*
  - *Intellectualis, qui rursus vel*
    - 1. *Principalis seu realis*
      - *Theoreticus: Scientia, Intelligentia, Sapientia.*
      - *Practicus*
        - *Activus: Prudentia.*
        - *Effectivus: Ars.*
    - 2. *Instrumentalis: Grammatica, Logica, Rhetorica.*

Dispositio, διάθεσις, qvalitas qvædam inchoata in animo vel corpore, per qvam incipimus esse apti & propensi ad aliqvid agendum, ut: *Notitia artium & scientiarum imperfecta virtutis studium in choatum.* Hæc qvia nondum fideliter & penitus accepta est, facilè exuitur.

Naturalis Potentia, δύναμις φυσικὴ, est qvalitas â naturâ ingenita, qva res aptæ sunt: Naturalis Impotentia, ἀδυναμία φυσικὴ, est qvalitas, qvà res inepte sunt ad aliqvid

qvid facilè agendum, vel patiendum, ut: *In ventriculo est naturalis potentia ad concoqvendum; In igne ad urendum; In oculo ad videndum.* Et, *In claudo est impotentia ad cursum, in balbo ad eloqventiam.*

Passio, πάθος, est qvalitas qvæ citò qvidem fit, sed & citò rursus perit, ut: *Rubor, qvi ex verecundia cursu, labore, motu existit. Pallor, qvi ex timore, irâ.* Passibilis qvalitas, παθητικὴ ποιότης, est qvalitas nec citò orta, nec citò peritura, tum afficiens sensus, præsertim exteriores, ut *Color, dulcedo, odor, &c.* Tùm movens appetitum, ut: *Amor, lætitia, cupiditas. &c.* Inter Passionem, & Passibilem Qvalitatem, est discrimen Accidentarium, qvod Aristoteles ostendit in Rubro colore, qvi cum semper sit ejusdem speciei, si tamen est in aliqvo à nativitate, dicitur Pasibilis Qvalitas; si repentinus, ex verecundia, dicitur Passio. Vide Conimbr. p. 256.

Figura, σχῆμα, est propriè modus & collocatio qvantitatum, ut: *Circulus triangulum, & reliqua schemata, qvibus Geometræ utuntur:* Forma, μορφὴ, est apta compositio rerum naturalium, vel artificalium, ut: *Forma animali.*

malium, arborum, lapidum; item *mensæ, navis, calcei, vestis.*

Proprietatis Qvalitatis sunt tres:

I. Qvalitatum, qvæ sub eodem genere sunt, Contrarietas est, (*a*) ut: *Virtus vitio est contraria, Albedo nigredini.*

(*a*) *Excipe Figuram, multosq; etiam Habitus, & Potentias naturales, ac passibiles qvasdam qvalitates, qvibus nihil contrariatur. Sic: Colores medii inter se non sunt contrarii. Crell. p. 135.*

II. Qvalitas recipit magis & minus, (*b*) ut: *Amor ejusdem rei in eodem homine aliàs ardentior, aliàs remissior est.*

(*b*) *Excipe Figuram, & Potentiam naturalem. Præterea hæc proprietas intelligenda est in concreto, ut: Hic illo est doctior; & in abstracto ratione graduum essentiæ: non verò ratione Definitionum. Semper enim perfectissimum definitur.*

III. Secundum Qvalitatem res dicuntur similes vel dissimiles, ut: *Nestor & Cicero similes sunt ratione eloqventiæ. Corvus Cygnus dissimiles ratione coloris.*

RELATIO, τὸ πρός τι, est, mutuus rerum inter se respectus, ut: *Paternitas, filiatio dominatus servitus.*

Dicitur πρός τι, qvatenus Prædicamenti hujus

hujus natura in actu collocata consideratur, & ad aliqvid aliud comparatur. Vide Regium. pag. 433.

NB. Relatio & Relatum differunt. Relatum est id, qvod ad aliud refertur; Relatio, qvo refertur. Illud est concretum, Hæc Abstractum. Illud Formatum, Hæc Forma: Illud Duplex sive multiplex, nempe Relatum, & Correlatum; Hæc unica & simplex. Vide Crell. pag. 101. Jacob. Mart. p. 142.

Relata sunt, qvorum esse nihil aliud est, qvàm ad aliud referri, ut: *Pater filius; Dominus servus.*

In Relatione reqviruntur tria: Subjectum, Fundamentum, & Termini.

Subjectum (aliàs Extremum) Relationis est Substantia qvædam. *Cum enim Relatio sit Accidens, Accidentia verò semper sint in Subjecto aliqvo, videlicet in Substantiâ qvadam, etjam Relatio subjectum qvoddam reqvirit: id qvod est qvædam Substantia ut Sophroniscus, Socrates; qvorum ille pater, hic filius.*

Fundamentum est Accidens absolutum, propter qvod Relatio Substantiæ inesse dicitur. *Cum enim Relatio sit admodum debile Accidens, ita ut per se subjectum esse neqveat, ideò*

requiritur adhuc aliud Accidens absolutum, cujus beneficio Relatio in subjecto inest.

Termini vocantur Relata, hoc est Relatum, & Correlatum simul sumpta, qvæ Relationem terminant: Ex his tribus Relatio resultat, qvæ est qvasi vinculum, qvo se invicem extrema respiciunt. v. g. *Relationis, qvæ est inter patrem & filium duo sunt subjecta videlicet Sophroniscus & Socrates. Fundamentum est potentia generativa: Termini sunt pater & filius, qvatenus tales; qvorum alter Relatum, alter correlatum dicitur. Ipsa Relatio est paternitas respectu patris, & filiatio respectu filii; qvæ duo ratione tantum differunt.*

Relatio,

Paternitas

Relatum seu terminus à qvo,	*Correlatum seu terminus ad qvem:*
Pater.	*Filius.*
Extremum seu Subjectum,	*Extremum seu Subjectum.*
Jacobus.	*Josephus.*
Fundamentum	
Respectu Patris est, facultas generandi qvâ generavit	*respectu filii, facultas qvâ potuit generari*

Ratio

Ratio fundandi
Est applicatio hujus facultatis.

Proprietates Relationis sunt qvatuor:

I. Relata possunt habere contrarietatem.

II. Relata recipiunt magis & minus. *Hæ duæ affectiones veræ sunt ratione fundamenti habentis contrarium; ut Relata, qve propriè sunt in prædicamento Qvalitatis.*

III. Relata sunt reciproca, ut: *Sponsus est sponsæ sponsus & vice versa*

NB. Non intelligitur hic ἀντιστροφὴ, qvalis est inter Proprium & Subjectum in casu recto sed variatis casibus, ut: Maritus, est Uxoris maritus. Dannhavv. p. 45.

IV. Relata sunt simul naturâ.

ACTIO, τὸ ποιεῖν, est applicatio agentis ad patiens, qvâ fit mutatio aliqva in patiente, ut: *calefacere, verberare.*

PASSIO, τὸ πάσχειν, est receptio actionis & effectus novi in patiente, ut: *calefieri, verberari, Amare.*

Proprietates utriusqve sunt duæ:

I. Recipere contraria, ut: *Calefactio pugnat cum frigefactione.*

II. Recipere magis & minus, ut: *Calefa-*

ctio, qvâ tepor in aqvâ producitur, est minor eâ, qva fervor producitur.

QVANDO, τὸ ποτέ, significat circumstantiam, qvæ est Tempus, ut: *hodie, heri, cras, nuno, olim.* It. *Hodiernus, Hesternus.*

UBI, τὸ ποῦ. significat circumstantiam, qvæ est locus, ut: *domi foris, infra, supra.* Item: *In mari. in foro, in agro in templo.*

SITUS, τὸ κεῖσθαι significat statum seu positum corporis & partium ejus, ut: *pronum esse, supinum stare jacere.*

HABITUS, τὸ ἔχειν significat circumstantiam vestitus, ut: *Esse togatum, prætextatum, annulatum.*

CAP. IV.

De Postprædicamentis.

POSTPRÆDICAMENTA nihil aliud sunt qvàm explicationes qvorundam vocabulorum ambiguorum, qvæ in prædicamentis, aut aliàs occurrunt.

Sunt

Sunt qvinqve : Oppositа ; Prius, Simul, Motus, Habere.

Oppositа sunt , qvæ non possunt esse in eodem subjecto, secundum idem, ad idem, & eodem tempore.

OPPOSITA, ἀντικείμενα, qvatuor modis dicuntur :

I. Relativè, ut : *Pater & filius.*

II. Contrariè, ut : *Bonum & malum.*

III. Privativè, ut : *Habitus & privatio.* Habitus significat formam seu rem , qvæ vere aliqvid est, ut : *Visus, vita, auditus, lux.* Privatio est formæ absentia seu destructio in Subjecto capaci, ut : *Cæcitas , mors , surditas , tenebræ.*

IV. Contradictoriè, ut : *Negatio & Affirmatio, Deus, non Deus,*

PRIUS, πρότερον, qvadrupliciter dicitur.

I. Tempore, ut : *Romulus est prior Augusto.*

II. Naturâ, ut : *Unum prius est duobus, causa prior est affecto, (Deus mundo, Sol lumine.) Substantia est prior accidente.*

III. Ordine , ut : *Elementa literarum sunt priora syllabis.*

IV. Dignitate, ut : *Consul prior est Senatore.*

Comprehenduntur isti modi hoc versiculo :
Tempore, Natura, Prius, Ordine dic & Honore.

SIMUL, τὸ ἅμα qvatuor modis dicitur:
1. Tempore, ut: σύγχρονοι.
2. Naturâ, idq; bifariam, vel, ut
 1. Relata, ut: Pater & Filius,
 2. Species ex æquo genus dividentes.
3. Honore seu dignitate.
4. Cognitione.

Hinc versiculi:

Tempore dico simul, quorum generatio juncta est;
Quæ convertuntur dicimus esse simul.
Suntq; simul species genus unum distribuentes;
Cognitione, loco, qvædam & honore simul.

MOTUS, κινήσεως, sex sunt modi, Generatio, Corruptio, Augmentatio, Diminutio, Alteratio, Motus localis.

HABERE, τὸ ἔχειν, per omnia ferè prædicamenta vagatur.

Hinc versiculi:

Dicitur affectum, quantum, annulum Habere & amictum,
Membrum, contentum, possessum, Vir mulierē.

PARTIS COMMUNIS.

LIBER SECUNDUS,

De Enunciatione.

Hactenus de terminis simplicibus, id est, de Instrumentis, quæ primam mentis nostræ operationem dirigunt, dictum est: sequuntur instrumenta secundæ operationis, quæ constant terminorum simplicium connexione, unde nascuntur Enunciationes.

CAPUT I.

De Enunciatione & ejus Partibus.

ENUNCIATIO, ἀπόφανσις, est oratio verum aut falsum significans; dicitur aliàs Propositio.

(*Quatenus se jam actu continetur in Syllogismo: quatenus verò est Enunciativa oratio, in se suaq; essentia absolutè considerata, & postea Syllogismi pars fieri potest, dicitur Enunciatio.*)

Partes sunt duæ; qvæ qvidem absolutè (a) consideratæ dicuntur Nomen & Verbum: In ipsa autem enunciatione; Subjectum & Prædicatum.

(a) i. e.

(a) *i. e. extra Enunciationem.*)

Nomen, ὄνομα, est vox ex instituo (a) significans, (c) sine tempore, (d) cujus nulla pars significat seperatim, (e) ut: *Homo, ego, currere.*

(b) *i. e. Placito & arbitrio humano, non verò naturaliter.*

(c) *i. e. Quæ enim nihil significat, nihil enunciat, ut Lonoron, Seratin.*

(d) *i. e. Sine certa adsignificatione temporis, præsentis, præteriti aut futuri.*

(e) *sc. ut integra dictio.*

Verbum, ῥῆμα est qvod adsignificat tempus (f) cujus nulla pars significat seorsim, semperq; illorum est, qvæ de alio dicuntur, signum, ut: *Est Animal, disputavi.*

(f) *i. e. Præsens, præteritum, vel futurum.*

Subjectum est in Grammaticâ constructione prior Nominativus, aut Infinitivus loco Nominativi positus, *hoc est*, Subjectum est id, de qvo aliud enunciatur.

Prædicatum est descriptio seqvens Copulam: seu est Verbum Nomini attributum. *Hoc est*: Prædicatum est id, qvod de Subjecto enunciatur.

His alii addunt Copulam, qvæ est vinculum

lum vel nexus, qvo Prædicatum Subjecto alligatur. Estq; duplex: Expressa, vel verbo inclusa.

Expressa est, cum Prædicatum Subjecto jungitur per verbum substantivum Est, ut: *Deus est justus, Cœlum est mobile. Hic* Deus *est Subjectum*; justus *prædicatum*; Est *Copula.*

Verbo inclusa est, cum Prædicatum immediatè nomini subjecto additur, ut: *Deus punit, Cœlum movetur. Hic* Cœlum *est subjectum, movetur prædicatum, in qvo implicitè copula* Est *continetur, ut sit: Cœlum est id, qvod movetur.*

CAP. II.

De Divisione Enunciationum.

ENUNCIATIO qvatuor potissimum modis dividitur: Ratione Essentiæ, Qvalitatis, Qvantitatis, & Materiæ.

Ratione Essentiæ dividitur in Categoricam, seu simplicem: & hypotheticam, seu compositam.

Categorica est Oratio indicativa, simplex, unica, qvæ perspicuè aliqvid affirmat aut negat, ut: *Sol major est terra, Luna est minor terra.*

Hæc

Hæc variè subdividitur.

PRIMO *est vel Finita, vel Infinita.*

Finita *est, cujus Subjectum, & Prædicatum finitum est ut: Homo est animal.*

Infinita *est, cujus vel Subjectum, vel Prædicatum vel utrumq; est infinitum ut: Non album est nigrum. Lapis est non homo. Qui non vivit, non moritur. (a)*

(a) *Finitus terminus dicitur, qui negationem expressè non habet præpositam, ut: Homo, Arbor, Loquitur, vivit.*

Infinitus, qui habet particulam NON præfixam sine virtute negandi adeoq; dicitur Infinitus quod infinitè affirmet, ut: Non Homo; non loquitur; non albus.

SECUNDO *Categorica Enunciatio est vel Pura, vel Modalis.*

Pura *est, quæ modo vacat. ut Homo est animal,*

Modalis *est, in qua dicitur aliquid inesse, vel non inesse, sub certo modo.*

Modus est vox, significans qvomodo Prædicatum subjecto insit, id est, qvàm arctè Prædicatum conveniat subjecto. Estq; qvadruplex: Necessitatis, Impossibilitatis, Contingentiæ, & Possibilitatis. Ut *Necesse est hominem esse animal, Impossibile est Deo peccata placere.*

cere. *Contingens est hominẽ esse doctum. Possibile est juvenem vigentem & valentem hodie mori.*

Nota, Modales parificari per Adverbia, Necessariò, Contingenter; vel per Verbum Potest, Non potest, ut: Necesse est hominem esse animal: id est: Homo est necessariò animal.

TERTIO *categorica Enunciatio est vel Absoluta, vel Respectiva, quæ Exponibilis dicitur.*

Absoluta *est, quæ Subjecto suo Prædicatum citra limitationem aut comparationem inesse dicit.*

Exponibilis *est, quæ indiget expositione, ob suam obscuritatem, quam habet ex adjectis particulis, vel Exclusivis, vel Exceptivis, vel Reduplicativis, vel Specificativi seu Restrictivis, vel Commparativis. Vid. Gutk.*

Sunt itaq; 1. Exclusivæ quæ constant signo exclusivo, videlic. Tantum, Solum, duntaxat &c. ut: Solus homo est rationalis. Sola substantia non est in subjecto.

2. Exceptivæ, quæ constant signo exceptivo sc. Præter, & si quod est aliud ejusdem significationis, ut: Omne mobile, præter cœlum, interire potest. Nemo nisi Deus est æternus.

3. Reduplicativæ, quæ constant signo reduplicativo, sc. Quatenus, Quâ, & similibus ejusdem significationis, immediationem & convertibilitatem

tem prædicati principalis cum termino reduplicato denotantibus, ut: Homo, qvatenus homo, est disciplinæ capax.

4. Specificativa, in qvibus termini illi jam dicti (qva qvatenus, in qvantum, secundum, &c) modum saltem nudum determinant, & notant vel partem, secundum qvam Prædicatum Subjecto convenit, vel conditionem sine qva non, ut: Socrates, qvatenus capillos habet, est crispus. Ignis, qvà prope est, urit.

5. Comparativæ, in qvibus Prædicatum comparatè dicitur de subjecto, ut: Aristoteles est doctior Platone. Nulla scientia est melior Theologia (NB. Ut Compaativæ sint veræ positivum accidens in qvo fit Comparatio, utriq; earum rerum, qvæ comparantur, verè tribui debet: Ergo non est propria Comparatio: Creatura est ignobilior Creatore. Deus est melior Diabolo; cum hæ orationes veræ esse non possint: Creator est ignobilis: Diabolus est bonus. (Vide Hunnæum, prodidagm. pag. 58.)

Enunciatio Hypothetica seu composita est Oratio, in qva duæ Categoricæ contexuntur per Grammaticam particulam Conjunctionem. Synecdochicè dicitur Hypothetica. Estqvæ triplex: Conditionalis, Copulativa & Disjunctiva.

Con-

Conditionalis est, cui præfixa est particula conditionalis, SI vel NISI: ut *Johan. 15. Si me persecuti sunt, etiam vos persequentur.*

Copulativa est, qvæ constat conjunctione copulativa ET, AC, ATQVE, SIMUL, ut: *Et prodesse volunt, & delectare Poëtæ.*

Disjunctiva est, cujus membra adjectâ particulâ disjunctiva qvasi divelluntur, ut AUT, SIVE, VEL, SEU, & simili, ut: *Aut fide justificamur, aut operibus.*

Hic observabis Enunciationes Compositas omnes & singulas æstimari, judicarique Affirmativas vel Negatas, ex conexione totius Enunciationis, non v. ex positione partium, pro ut hæc vel illa pars affirmatè & negatè ponitur, E. G. Affirmativæ Enunciationes sunt: Si Petrus est homo, est Animal. Homo & rationalis est, & risibilis. Petrus aut vivit, aut est mortuus.

(Ex his Affirmativis fiunt Negativæ, si tota connexio negetur, & particula NON toti orationi præponatur, ut: Non, si Petrus est homo, est animal. Non & homo rationalis est, & risibilis. Non aut Petrus vivit, aut est mortuus.)

Ratione Qvalitatis dividitur in Affirmativam & Negativam.

Enunciatio Affirmativa, κατάφασις, est,

qvæ asseverat aliqvid adesse vel inesse Subjecto & prædicatum cum Subjecto connectit, ut: *Paries est albus.*

Negativa, ἀπόφασις, est qvæ asseverat aliquid abesse Subjecto per particulam negativam conveniente loco positam, ubi verè removet Prædicatum à Subjecto, ut: *Paries non est albus.*

Atq; hæc Enunciatio dicitur Formaliter *negativa. Præter hanc datur & alia* Enuncienter *seu virtualiter Negativa, quando per Particulas Exclusivas vel Exceptivas aliquid removetur de alio, ut: Solus Deus est adorandus. i. e. Nihil quod Deus non est adorandum est. Pauci sunt electi: i. e. Non multi sunt electi.*

NOTA. Interdum enunciatio absolutè & extra syllogismum considerata Negativa; in syllogismo sit Affirmativa. Hic enim sectandum, Utrum Particula Negativa in Minore extrinsecus assumatur; an in Majore fuerit. Si extrinsecus assumitur. Negativa est: Si in Majori fuit, affirmativa est.)

Ratione Qvantitatis dividitur in Universalem, particularem, indefinitam & singularem.

Universalis est, in qva signum universale additur Subjecto, ut complectatur omnia,

mnia, de qvibus subjectum dici potest. *h. e. quod Subjectum habet cum signo Universali aliquo, ut: Omnis homo est creatura.*

Signa Universalia sunt: *Omnis*, (*b*) *Quilibet*, *Quicunque*, *Singuli*, *Universi*, *Quotquot*, *Unus quisque*, *Semper*, *Ubique*, *Nemo*, *Nemo non*, *Nullus*, *Nullus non*, *Ne unus quidem*, *Nihil*, *Nunquam*, *Nusquam*, *Omnino*, *Nullatenus.*

(*b*) *NOTA.* Particula *OMNIS*, *sumitur vel* (1) *Collectivè*, *& notat congregationem omnium*, *& ostendit subjecta conjunctim esse sumenda*, *prout in certum numerum rediguntur*, *V. G. Omnes Apostoli sunt duodecim*, *h. e. conjunctim sumti constituunt numerum duodenarium. Sed hæc collectio*, *neq; universalem propriè constituit*, *neq; magnum in Logicis usum habet.*

(2) *Distributivè*, *quando singula in subjecto contenta subsumi possunt: Omnes homo est bipes.*

Distributio autem fit duobus modis: Vel *enim est Distributio in singula Generum quando singula Individua Generum seu specierum intelliguntur*, *ut omne animal sentit. Ergo & homo*, *& leo & equus sentit.* Vel *est Distributio in genera singulorum*, *quando saltem certa genera*, *seu certa species*, *aut status*, *vel ordines rerum intelliguntur*, *ut: Omne animal fuit in arca Noæ*, *hoc est.*

Omnis ſpecies Animalis (ſed hæc potius Particularis eſt, quam Univerſalis.)

Particularis eſt, in qvâ ſignum Particulare Subjecto additur, ut complectatur non omnia, ſed aliqva (ſeu multa ſeu pauca) de qvibus Subjectum dicitur; hoc eſt: *Particularis eſt, qvæ Subjectum habet cum ſigno particulari, ut: Aliqui homines timent Deum.*

Signa Particularia ſunt: *Aliquis, Quidam, Nonnulli, Pauci, Multi, Plures, Pars, Raro, Ferè. Non omnis, Non quilibet. Non ſemper Nonnumquam alicubi, Aliquando.*

Indefinita eſt, in qvâ Subjectum eſt Vocabulum commune ſine ſigno poſitum, ſignificans alias Ideam (*i.e. ſpeciem*) aliàs particulariter, *hoc eſt, Indefinita eſt, quæ ſubjectum habet abs ſigno, ut: Cretenſes ſunt mandates.*

(Hic enim hæret animus, utrum Pradicatum de ſubjecto Univerſaliter, an particulariter debeat explicari.)

Singularis eſt, in qvâ Subjectum eſt Proprium nomen, vel Individuum, ut: *Plato eſt doctus. Chriſtus eſt Filius Mariæ.*

Atque hæ ſunt illæ Enunciationum ſpecies, quæ Syllogiſmo conſtituunt, & de quibus intelligendæ ſunt uſitatæ quærendi formulæ: Qvæ? Qvalis? Qvanta?

Por-

Porrò autem Enunciatio ratione Materiæ qvoqve dividitur in Veram & Falsam.

Vera est, qvæ cum re consentit, ut: *Cœlum movetur, Terra quiescit.*

Falsa, qvæ à re dissentit, ut: *Cœlum quiescit, Terra movetur.*

Vera rursum est duplex: Usitata & musitata. *Usitata* est, in qvâ res subjecta & modus enunciandi usitatus est. *Dicitur aliàs* Prædicatio Regularis, *quòd congruat ad aliquem modum ex quinq; Prædicabilibus.*

Inusitata Enunciatio est, in qvâ Subjecto prædicatum tribuitur modo mystico & inusitato, qui neqve ad regularem prædicationem, neqve ad tropos referri potest, ut: *Deus est Homo, Homo est Deus.*

Usitata rursum dividitur in Propriam, & Impropriam.

Propria est, in qvâ prædicatum verbis propriis subjecto tribuitur, ut: *Homo ridet.*

Impropria est, in qvâ prædicatum verbis impropriis subjecto tribuitur, ut: *Parta rident, Herodes est vulpes. Dicitur aliâs* Prædicatio Figurata.

Propria vel est Necessaria, vel Contingens. Necessaria Enunciatio est, qvæ immutabis

liter vera est, nec aliter se habere potest, ut: *Homo est animal, rationalis, risibilis.*

Contingens, qvæ Contingenter vera est, & aliter se habere potest, ut: *Homo est doctus, Aqua est calida.*

CAP. III.

De Affectionibus Enunciationum.

AFFectiones Enunciationum sunt tres: Oppositio, Conversio, Æqvipollentia.

OPPOSITIO, Ἀντίφασις, est dissonantia Enunciationum (*a*) qvarum altera est affirmativa, altera negativa eorundem extremorum (*b*) sine ullâ ambiguitate intellectorum.

(*a*) *Ergò non in unica propositione, in qua potest esse oppositio simplicitè & potentiâ, ut: Petrus est homo rationis expers.*

(*b*) *Sc in eadem suppositioni, statu, ampliatione, sensu.*)

Est qvadruplex: Contraria, Contradictoria, Subcontraria & Subalterna. *Ex quibus tamen duæ priores tantùm propriè Oppositiones sunt, reliquæ duæ non propriè, sed κατ' ἀναλογίαν.*

Oppo-

Oppositio Contraria est, cum Universali Affirmativæ opponitur Universalis Negativa, ut: *omnis homo est justus, Nullus homo est justus. Hæ Enunciationes in Quantitate quidem universali conveniunt, sed in Qualitate pugnant.*

NOTA 1. Enunciationes contrariæ, nunquam possunt esse simul veræ.

2. Enunciationes contrariæ possunt esse simul falsæ in materia contingente: In Materia verò Necessariâ & Impossibili altera earum vera est, altera falsa.

Oppositio Contradictoria est, cum Affirmationi universali opponitur Negatio particularis; *vel contra*, cum universali negationi opponitur particularis affirmatio, ut: *Omnis homo est justus; aliquis homo non est justus. Nullus homo est justus; aliquis homo est justus*: vel cum duæ singulares inter se opponuntur, ut: *Aristides fuit justus, Aristides non fuit justus. Hæ neq; in Quantitate, neq; in Qualitate conveniunt, sed pugnant in utraq;.*

Contradicentium una semper vera, altera falsa est; & nunquam ambæ veræ, vel falsæ esse possunt: Si nempe in singulari numero formentur, ut: Nullus planeta facit diem. Quidam planeta facit diem.

Oppositio Subcontraria est, cum Particulari Affirmativæ opponitur Particularis Negativa, ut: *Aliquis homo est justus, aliquis homo non est justus. Hæ in Quantitate particulari conveniunt, sed pugnant in Qualitate.*

Subcontrariarum, in materia necessaria & impossibili, altera vera, altera falsa est: In materia contingenti, ambæ simul veræ esse possunt. Nunquam ambæ simul falsæ sunt.

Oppositio subalterna, vel Subalternatio est, cum Universali Affirmativæ opponitur, vel potius subjicitur Particularis Affirmativa. ut: *Omnis homo est justus, Quidam homo est justus:* vel etiam universali Negativæ particularis Negativa, ut: *Nullus homo est justus. Quidam homo non est justus. Hæ in Qualitate conveniunt, sed differunt in Quantitate.*

In subalternatione Universalis dicitur subalternans, Particularis verò subalternata. Hinc igitur 1. Quando subalternans est vera, etiam vera est subalternata. 2. Quando subalternata est falsa, falsa etiam est subalternans.

CONVERSIO est Commutatio extremorum Enunciationis, manente veritate eadem.

eadem. Est triplex: Simplex, per accidens, & per Contrapositionem.

(*NOTA 1. Enunciatio, cujus extrema convertuntur, dicitur CONVERSA; quæ autem fit ex commutata, CONVERTENS.*)

2. *Quo conversionis modo quæq; Enunciationes convertantur, ostendunt hi versiculi:*

FECI simpliciter convertitur, ALA per acci;
ASTO per contra: sic fit Conversio tota.
A significat Universalem Affirmativam.
E significat Universalem Negativam.
I significat Particularem Affirmativam.
O significat Particularem Negativam.

Conversio simplex est, cum manentibus iisdem signis, manente & eadem qvalitate, ex prædicato subjectum, & ex subjecto fit prædicatum. *Habet locum in universali Negativa, & particulari affirmativa.* Primi modi exemplum: *Nemo timens Deum contaminat se adulterio: Nemo contaminans se adulterio timet Deum.* Secundi modi: *Quidam hypocritæ sanctè vivunt: Quidam qui sanctè vivunt sunt hypocritæ.*

Conversio per Accidens est, cum ex prædicato fit Subjectum, & ex Subjecto Prædicatum, manente eadem qvalitate, sed muta-

tis signis. *Habet locum in universali Affirmativa, ut: Omnis homo est Substantia: Quædam Substantia est homo.*

Conversio per Contrapositionem est, cum Universalis affirmans aut etiam Particularis negans ita convertuntur, ut manente Qvantitate mutetur Qvalitas & convertentis Subjectum fiat infinitum, ut: *Quicunque credit in CHRISTUM, habet vitam æternam: Quicunq; non habet vitam æternam, non credit in CHRISTUM. Quidam Hermani non sunt fortes: Quidam non fortes sunt Germani. Vid. Hornej.*

ÆQVIPOLLENTIA, ἰσοδυναμία, est Enunciationum, qvæ verbis discrepant, in sensu convenientia.

Quomodo Æquipollentes Enunciationes juxta ordinem trium priorum regularum fiant, ostendunt hi versiculi:

1. *Non omnis, quidam non; sed non nulli, aliqui sunt,*

Non aliquis, nullus; non alter sit tibi neuter.

2. *Nullus non, valet omnis: at omnis non, quasi nullus.*

3. *Non nulli non, sunt aliqui non; non aliqui non. Ceu omnes sunto; non omnes non, quasi quidam.*

I. Cum

I. Cum negatio præponitur signo, Enunciatio æqvipollet suæ contradictoriæ, ut: *Non omnis homo sapientiæ studiosus est: æquipollet huic: Quidam homo non est studiosus sapientiæ.*

II. Cum negatio postponitur signo, Enunciatio æqvipollet suæ contrariæ, ut: *Nemo non est peccator, æquipollet huic. Omnes sunt peccatores.*

III. Cum negatio & præponitur & postponitur, Enunciatio æqvipollet suæ subalternæ, ut: *Non quidam Græci non sunt vani: æquipollet, huic: Omnes Græci sunt vani.*

NOTA. Tres priores canones comprehenduntur etiam hoc versiculo:

PRÆ contradict: POST, contrar: PRÆ, POST que Subalter:

IV. Duæ negationes apud Latinos æqvipollent affirmationi, ut: *Nemo non optat sibi bonam valetudinem, æquipollet huic, Omnes optant sibi bonam valetudiuem.*

V. Universalis limitatione restricta æqvipollet particularia, ut: *Omnes homines (qui credunt) salvantur, æquipollet huic: Quidam homines salvantur.*

VI. Par-

VI. Particulæ Exclusivæ habent vim universalium, cum termini sunt reciproci, ut: *Tantum homo loquitur, id est, omnes homines sunt loquentes.*

VII. Enunciationes Indefinitæ in materiâ necessariâ, æqvipollent Universalibus, ut: *Leo est animal, æquipollet huic, Omnis Leo est animal.* Sed in materiâ contingenti Particularibus, ut: *Cretenses sunt mendaces, æquipollet huic, Quidam Cretenses sunt mendaces.*

PARTIS COMMUNIS

LIBER TERTIUS,

De

SYLLOGISMO.

CAPUT I.

De Syllogismo Categorico & ejus Partibus.

Supereſt tertia mentis Operatio, quæ dicitur Argumentatio vel diſcurſus.

Tabula ὡς ἐν πλάτει ἢ παχυλῶς exhibens tres mentis operationes.

1. *Simplicium apprehensio, ut:*

Homo. Leo. Corpus. Rationalis. Sentit. Materiatum.

2. *Simplicium compositio, ut:*

Homo est Rationalis.
Leo Sentit.
Corpus est materiatum.

3. *Discursus, ut:*

Homo est rationalis. E.
Homo est risibilis.

Leo sentit. E.
Leo est animal.

Corpus est materiatum. E.
Corpus est Quantum.

ARGUMENTATIO est, qvâ ignotum ex aliis notioribus elicimus, ut id fiat notum. *Vel:* est oratio in qva conclusio aliqva confirmatur, aut refutatur, per alias notiores propositionis, continentes causam conclusionis, & rectè ad eam accommodatas.

Ejus Species sunt sex: Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum, Sorites & Dilemma.

SYLLOGISMUS ἔστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἑτέρου τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει

Διά

λεγόντων τινῶν λόγων, i e Syllogiſmus eſt oratio, (a) in qva poſitis qvibusdam (b) aliud ab iis, (c) qvæ poſita ſunt neceſſario (d) ſeqvitur, propter ea qvæ ſunt poſita (e). Eſtqve duplex: Categoricus ſeu ſimplex; & Hypotheticus ſeu compoſitiis.

(a) *Tàm interna, quàm externa.*

(b) *Sc. præmiſſis, vel duabus propoſitionibus: Syllogiſmus enim eſt perfecta argumentandi ratio, & diſtinguitur ab imperfectis argumentationibus, in quibus una tantum ponitur propoſitio.*

(c) *Quia Concluſio à præmiſſis licet non materiâ, formâ tamen debet eſſe diverſa.*

(d) *Sc. neceſſitate formæ; non neceſſitate materiæ: Syllogiſmus enim conſideratur hic Univerſaliter, ſine reſpectu Materiæ.*

(e) *Sc. in præmiſſis potentiâ.*

Circa doctrinam Syllogiſmi Categorici obſervanda ſunt qvatuor Principia; Materiala, Formalia, Regulativa & Perfectiva.

MATERIALIA Syllogiſmi ſunt partes, ex qvibus Syllogiſmus componitur. Partes ille ſunt duplices; Remotæ, & Propinqvæ.

Remotæ ſunt, ex qvibus fiunt Propoſitiones; ſunt qve nihil aliud qvàm tres termini: a) Major, Minor, Medius.

(a) *Ter-*

(a) *Termini dicuntur in Propositione respectu Syllogismi: It. Extrema, Extremitates &c: At in Enunciatione dicuntur Subjectum, & Prædicatum.* Barth. p. 260.

Major terminus est, qvi jungitur cum Medio in Propositione, & futurum est prædicatum in Conclusione.

Minor terminus est, qvi jungitur cum Medio in Assumptione & occupat locum Subjecti in Conclusione.

Medius Terminus est, qvi bis ponitur ante Conclusionem, semel junctus Majori extremo, semel Minori. *Exempli gratiâ: Avarus non est dives, quia eget.* Avarus *est minor Terminus*; *non est* dives, *Major*; Eget, *medius.*

Partes propinqvæ sunt, ex qvibus Syllogismus constituitur, videlicet Præmissæ & Conclusio. Præmissæ vocantur Propositio & Assumptio, (a) vel Propositio Major & Minor.

(a) *Sc. conjunctim sumtæ.*

Propositio, πρότασις, est prima præmissarum, qvæ ex Majori termino & Medio constituitur. Dicitur aliàs κατ' ἐξοχὴν Propositio, *vel Prima præmissarum.*

Assumptio, πρόσληψις, est secunda præmissarum

sarum, qvæ ex Minori termino, & medio constituitur. *Dicitur aliàs propositio Minor, aut Secunda præmissarum.*

Conclusio, συμπερασμα, est qvæ ex Præmissis infertur & colligitur. *Dicitur aliàs Complexio, Clausula.*

Fit igitur Syllogismus hoc modo: Primo Majorem terminum vel Prædicatum qvæstionis conjunge cum Medio, & fiet Propositio Major, ut: *Qui eget, non est dives.*

Deinde conjunge Minorem terminum vel Subjectum qvæstionis cùm Medio, & fiet Propositio Minor ut: *Avarus eget.*

Hinc seqvitur Conclusio: *Ergo avarus non est dives.*

CAP. II.

De Figuris & Modis Syllogismorum.

FORMALIA Syllogismi consistunt in Figuris & Modis.

FIGURA est apta dispositio Medii Termini cum partibus qvæstionis; *Vel*: Figura est ordo Terminorum, qvi variatur collocatione Medii.

MO-

MODUS est ordinatio duarum propositionum & conclusionis in debitâ qvantitate & qvalitate. Modi hisce qvatuor literis solent denotari, A, E, I, O; de qvibus rhythmi:

Asserit A, *negat* E, *sed universaliter ambæ;*
Asserit I, *negat* O, *sed particulariter ambæ.*

Figuræ sunt tres, ex qvibus prima dicitur Perfecta (a) reliqvæ duæ Imperfectæ. De his notandi vulgares versiculi:

(a) *Quia evidentissimè concludit, & omnis generis quæstiones admittit.*

Prima prius subjicit medium, *post prædicat* ipsum;
Altera bis dicet. *Tertia bis* subjicit.

PRIMA FIGURA est, in qvâ Medius terminus est Subjectum in Majore, & Prædicatum in Minore.

Modos habet qvatuor, comprehensos hoc versiculo:

Barbara, Celarent, *Primæ*, Darii, Ferioq;.

I.

Bar *Omne animal sentit,*
ba *Omnis homo est animal,*
ra *Ergo omnis homo sentit.*

II.

Ce *Nullus spiritus est visibilis.*
la *Omnis anima est spiritus.*
rent *E. nulla anima est visibilis.*

III.

Da *Omnis fortitudo est propugnatrix justitiæ.*
ci *Quædam virtus est fortitudo.*
i *E. Quædam virtus est propugnatrix justitiæ.*

IV.

Fe *Nulli impœnitentes salvantur.*
r *Quidam homines sunt impœnitentes,*
o *E. quidam homines non salvantur.*

Primæ Figuræ Fundamentum est Dictum de Omni & Nullo. *Dici de Omni est*, cum qvicqvid dicitur de Universali, id etiam dicitur de Particulari, qvod sub eo continetur, ut: *Si animal dicitur de homine, dicitur etiam de Socrate, Platone, Aristotele &c. qui sunt homines, & sub homine continentur, verbi gratia:*

Omnis homo est animal,
Socrates est homo,
Ergò Socrates est animal.

NB. Per *Dictum de omni* non intelligitur præcisè Propositio tantum Universalis: Sed id,

id, ut ſubjectum iſtius Vniverſalis dicatur de alio aliqvo, de qvo concludatur etiam Prædicatum Concluſionis. Unde, ut vis Dicti de omni rectiùs pateſcat, qvidam ſic formant Majorem: Omne qvod eſt homo, eſt animal. Vid. Scharf. Inſtit.

Dici de Nullo eſt, cum qvicqvid negatur de Univerſali, id etiam negatur de Particulari, qvod ſub eo continetur, ut: *Si Divinitas negatur de creatura, negatur etiam de Angelis, qui ſunt creatura, & ſub creatura continentur: Verbigratia:*

Nulla Creatura eſt Deus.
Angeli ſunt creaturæ.
Ergò Angeli non ſunt Dii.

SECUNDA FIGURA eſt, in qvà Medius terminus eſt prædicatum in utraqve præmiſſarum.

Habet etiam modos qvatuor comprehenſos hoc verſiculo:

Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco *Secunda.*

I.

Ces *Nullus lapis eſt animal.*
a *Omnis homo eſt animal.*
re *Ergò nullus homo eſt lapis.*

II.

Cam *Omnis homo est particeps rationis,*
es *Nullus elephas est particeps rationis,*
tres *Ergo nullus elephas est homo.*

III.

Fes *Nullus dives plura cupit.*
ti *Euclio plura cupit.*
no *Ergo Euclio non est dives.*

IV.

Ba *Omnis in Spiritum sanctum peccans desperat.*
roc *Petrus negans Christum non desperat.*
● *E. Petrus non peccat in Spiritum sanctum.*

Secundæ Figuræ Fundamentum hoc est: Qvando aliqvod Prædicatum de uno Subjecto affirmatur, de altero negatur, tunc & illa subjecta de se invicem negabuntur, ut:

Omne animal est vivens.
Nullus lapis est vivens.
E. Nullus lapis est animal.

Hic prædicatum (vivens) de una subjecto (animali) affirmatur, & de altero (lapide) negatur. Ergo etiam illa subjecta, videlicet animal & lapis, *de se invicem negantur in conclusione.*

TERTIA FIGURA est, in qvâ Medius termi-

terminus est subjectum in utraqve præmissarum.

Habet modos sex comprehensos versiculo:

Tertia grande sonans edit Darapti, Felapton.
Adjungens Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

I.

Da *Omnis Christianus fidit Christo,*
rap *Omnis Christianus premitur cruce.*
ti *E. Quidam pressus cruce fidit Christo.*

II.

Fe *Nulli electi damnantur.*
lap *Omnes electi sunt peccatores.*
ton *E. Quidam peccatores non damnantur.*

III.

Dis *Quædam voluptas carnis appetitur.*
am *Omnis voluptas carnis est mala.*
is *E. Quoddam malum appetitur.*

IV.

Da *Omnes stulti sunt servi.*
tis *Quidam stulti sunt divites.*
i *E. Quidam divites sunt servi.*

V.

Boc *Quædam bella non sunt fugienda.*
ar *Omnia bella sunt calamitosa.*
do *E. Quædam calamitosa non sunt fugienda*

VI.

Fe *Nulla justitia est vituperanda.*
ris *Aliqua justitia est severitas.*
on *E. Aliqua severitas non est vituperanda.*

Tertiæ Figuræ Fundamentum est hoc: Qvæ in uno tertio conveniunt, ea inter se conveniunt: *& contrà*: Qvæ in uno tertio non conveniunt, ea inter se non conveniunt, ut:

Petrus est pius.
Petrus est Jurisconsultus,
E. Quidam Jurisconsulti sunt pii.

Hic Pius & Juris consultus, conveniunt in uno tertio, nempe Petro: ideoq; inter se etiam conveniunt, id est, conjungitur in Conclusione.

Sic:

Porphyrius non est pius:
Porphyrius est Philosophus.
E. Quidam Philosophi non sunt pii.

Hic, Pius & Philosophus, non conveniunt, in Porphyrio, ideoq; nec inter se conveniunt, ed est, non conjunguntur in Conclusione.

CAP.

CAPUT III.

De Regulis Syllogismorum.

REGULATIVA principia, Syllogismorunt sunt tàm Generales, qvàm Speciales Regulæ de Syllogismis.

Generales sunt hæ:

I. Ex puris negativi nihil seqvitur.

Nonnunqvam aliqvid seqvitur contingenter seu fortuito & per accidens. ut: N. lapis est arbor. N. homo est lapis. F. N. homo est arbor.

II. In Syllogismo non sint plures termini qvàm tres.

III. Mutato genere prædicationis non valet consequentia.

IV. Ex puris particularibus nihil seqvitur.

V. Non sit plus vel minus in conclusione, qvàm fuit in præmissis.

VI. Medius terminus nunqvam fit membrum conclusionis.

VII. Conclusio semper imitatur partem debiliorem.

Regulæ speciales de primâ figurâ sunt hæ:

I. In primâ figurâ Major semper est universalis.

II. In primâ figurâ Minor non debet esse negativa. (a).

(a) In-

(a) *Intelligendæ sunt Regulæ. 1. de modis directis. 2. de formali consequentia. Nam ratione Materiæ, sequitur aliquando Conclusio in prima figura, ex Majore particulari, minore negativa.*

Regulæ speciales de secundâ figurâ sunt hæ:

I Major in secundâ figurâ semper debet esse universalis.

II. In secunda figura ex puris affirmativis nihil sequitur (formaliter).

Regulæ speciales de tertia figura sunt hæ:

I. In tertia figura Minor non debet esse negativa.

II. In tertia figura conclusio nunqvam est universalis.

III. In tertia figura maximè cavendum est, ne mutilatè Termini inferantur in conclusionem; h. e. Integer Major, & integer Minor terminus in conclusione ponatur, sicut in præmissis erat. Vitiosus itaq; Syllogismus est:

Paulus raptus fuit in cœlum.
Paulus raptus fuit in Paradisum,
E. Paradisus est cœlum.

Hic enim mutilantur termini; Inferendum igitur est:

E. Qvidam, qvi raptus fuit in Paradisum, raptus fuit in cœlum.

CAP.

CAP. IV.

De Reductione Syllogismorum & Expositione.

PERFECTIVA principia, vel modi perficiendi Syllogismos imperfectos, sunt duo: Reduxio & Expositio.

REDUCTIO est Syllogismorum secundæ & tertiæ figuræ per primam demonstratio: Estqvæ duplex: Directa & Indirecta.

Directa vel ostensiva fit, qvando Propositio & Assumptio convertuntur, sive transponuntur, manente eâdem conclusione, vel ejus convertente.

Utrum autem Propositio, an verò Assumptio sit convertenda, vel transponenda, scimus ex consonantibus illarum vocum, qvæ singulis modis uniuscujusqve figuræ sunt appositæ. Nam qvemadmodum earum vocales A, E, I, O, Qvantitatem & Qvalitatem in singulis modis designant; ita qvoq; Consonantes earundem significant, qvibus legibus facienda sit Reductio.

Consonantes illæ sunt duplices: Capitales & Mediæ,

Capitales designant Modum unumqvem-

qvæ ſecundæ vel tertiæ Figuræ reducendum eſſe ad eum Modum primæ Figuræ, qvi ab eadem litera capitali ducit initium, ut: *Ceſare ad Celarent, Diſamis ad Darii, Feriſon ad Ferio. Baroco tamen oſtenſive reducitur ad Ferio, Bocardo ad Darii.*

Mediæ literæ, S, P, M, C, qvid deſignent, notant hi verſiculi:

S *vult ſimpliciter verti*, P *verte per Acci.*
M *vult transponi*, C *contraponiter optat.*

Id eſt:

S. denotat, eam Propoſitionem, in qvam litere S. incidit, convertendam eſſe ſimpliciter, id eſt, *Servatâ eadem quantitate & qualitate, ut:*

Ces *Nullus dives eget,*
a *Omnis avarus eget.*
re *E Nullus avarus eſt dives.*

reducitur ad

Ce *Nullus egens eſt dives.*
la *Omnis avarus eget.*
rent *E. Nullus avarus eſt dives.*

P. denotat eam Propoſitionem, cui addita eſt, convertendam eſſe per Accidens, *id eſt, Servatâ quidem qualitate, ſed mutata quantitate, hoc eſt, ab univerſali in particularem, ut:*

Da

Da *Omnis homo est mortalis,*
rap *Omnis homo est animal.*
ti *E Quoddam animal est mortale.*

reducitur ad

Da *Omnis homo est mortalis.*
ri *Quoddam animal est homo.*
i *E. Quoddam animal est mortale.*

M. indicat Modum illum, in cujus medio est, convertendum esse Metathesi Propositionum, *id est, Minore transposita & rejecta in locum Majoris.*

Cam *Omnes credentes salvantur.*
es *Nulli Diaboli salvantur.*
tres *E. Nulli Diaboli credunt.*

reducitur ad

Ce *Nulli qui salvantur sunt Diaboli.*
la *Omnes credentes salvantur.*
rent *E. Nulli credentes sunt diaboli.*

C. notat Contrapositionem, per qvem conversionis modum ostensivè reducitur Baroco & Bocardo: Baroco qvidem (sicut & Camestres), si Major saltem per contrapositionem convertatur; Bocardo verò si Majoris convertens cum Minori permutetur, & conclusio etiam convertatur. E. G.

Boc

Boc. Q. *homo non prudens.*
ar O. *homo est rationalis.*
do E. Q. *rationalis non est prudens.*

Reducitur directè ad

Da O. *homo est rationalis*
ri Q. *non prudens est homo*
i E. Q. *non prudens est rationalis.*

Indirecta Reductio, vel Reductio per Impossibile est, qvando evidentia conclusionis ostenditur absurditate contradictionis admittendæ. Habet locum in omnibus Modis secundæ & tertiæ figuræ.

Talis Reductio non fit eodem modo in utraqve figura; sed notandus est vulgaris versiculus:

Servat Majorem, variatq; secunda Minorem,
Tertia Majorem variat, servatq; Minorem.

Hoc est:

In secunda figura Majore suo loco relicta, contradictoria conclusionis ponitur loco Minoris, & infertur contradictoria Minoris, ut in

Ba *Omnis sapiens sua sorte contentus est.*
roc *Quidam divites sua sorte non sunt contenti.*
E. *Quidam divites non sunt sapientes.*

Hic

Hic Syllogismus reducitur ad primam Figuram per Impossibile, hoc modo. Major tanqvam concessa retineatur:

Omnis sapiens suâ sorte contentus est.

Deinde contradictoria conclusionis ponitur loco Minoris:

Omnes divites sunt sapientes.

Hinc jam seqvitur contradictoria Minoris:

Ergo omnes divites suâ sorte sunt contenti.

Qvæ conclusio est falsa. Atqve ita eò deducitur adversarius, ut aut malè concesserit præmissas prioris Syllogismi, aut, si benè concessit, etiam conclusionem debeat admittere.

In Tertia Figura Minore suo loco relictâ, contradictoria conclusionis ponitur loco Majoris, & infertur contradictoria Majoris, ut in

Boc ar do
Quædam voluptas corporis non est bona.
Omnis voluptas corporis est voluptas.
E. *Quædam voluptas non est bona.*

Reducitur ad primam hoc modo: Contradictoria Conclusionis ponatur loco Majoris:

Omnis voluptas est bona.

Dein-

Deinde Minor tanqvam conceſſa aſſumatur.

Omnis voluptas corporis eſt voluptas.
Hinc infertur contradictio Majoris.
E. Omnis voluptas corporis eſt bona.

Hæc concluſio eſt falſa, & contradicit Majori præcedentis Syllogiſmi, qvam tamen antea conceſſerat adverſarius. Aut ergo in priore Syllogiſmo acqviescere debet, aut hunc, qvo contradictione implicatur, admittere.

NOTA. *In Darapti & Felapton indirectè reducendis contraria Majoris (æquè ſcilicet abſurda) ſit concluſio. Nam contradictoria Majoris ſi inferretur, Syllogiſmus ad nullum modum primæ figuræ quadraret. Exemplum igitur modi Felapton cap. 2. poſitum indirectè ſic ad primam Figuram reducitur: O. peccatores damnantur, O. electi ſunt peccatores, E. O. electi damnantur.*

EXPOSITIO eſt ratio argumentandi, in qva medium eſt ſingulare, cujus ordo ad tertiam Figuram congruit, Exempli gratia hic Syllogiſmus tertiæ Figuræ:

Dis *Quoddam corpus eſt viride.*
am *Omne corpus eſt Subſtantia.*
is *E. Quædam Subſtantia eſt viridis.*

Per

Per Expositionem hoc modo perficitur:

Hæc res est viridis.
Hæc res est substantia.
E. Quædam Substantia est viridis.

Causa autem, cur Syllogismi tertiæ Figuræ tantùm probentur per Expositionem, hæc est, qvia singulare nunqvam prædicatur, sed semper subjicitur. At in secunda Figura Medius Terminus est Prædicatum in utraqve propositione. Non igitur fieri potest, ut Syllogismus secundæ Figuræ per medium singulare probetur.

APPENDICULA doctrinæ de Syllogismo Categorico, proponens Syllogismum Exponibilem & Modalum.

EXPONIBILIS Syllogismus est, qvi constat ex Propositionibus exponibilibus.

Estqve vel Exclusivus, vel Exceptivus vel Reduplicativus, vel Specificativus, vel Comparativus.

1. Exclusivus est, qvi constat ex Propositionibus exclusivis, legitimè dispositis, ut:

Qûicunq; solus Rutulos interfecit, is solus pœnam meretur.

Atqvi

Atqvi solus Nisus Rutulos interfecit,
Ergo solus Nisus pœnam meretur.

2. Exceptivus est, qvi constat ex terminis & propositionibus exceptivis identicè collocatis, ut:

Qvicunqve neminem agnoscunt verum Messiam, præter Jesum Mariæ filium, illi alium non expectant.

Atqvi Christiani neminem agnoscunt verum Messiam, præter Jesum Mariæ filium.
E. Christiani alium non expectant.

3. Reduplicativus est, qvi constat ex propositionibus reduplicativis, ut:

Qvicqvid est bonum, id, qva tale, est appetendum.

Atqvi Virtus est bona.
E. Virtus, qva talis, est appetenda.

4. Specificativus est, qvi specificativis propositionibus constat. E.g.

Qvodcunq; quâ prope est urit, illud qvà prope est lædit:
Ignis qvâ prope est urit:
E. Ignis qvà prope est lædit.

5. Com-

5. Comparativus est, qvi ex comparativis propositionibus concludit, ut:

Qvæcunq; artes tractant res digniores, illæ sunt præstantiores.

Atqvi artes literales tranctant res digniores.

E. Artes liberales sunt præstantiores.

MODALES Syllogismus est, qvi constat ex Propositionibus est modalibus, ut:

Necesse est hominem esse Animal.
Necesse est studiosum Hominem.
E. necesse est studiosum esse animal.

CAP. V.

De Syllogismo Hypothetico seu Composito.

HActenus de Syllogismo Categorico: sequitur HYPOTHETICUS, qvi est, cum loco Majoris Propositionis Propositio composita ponitur, loco verò Minoris Propositionis alterutra compositæ pars, & pars relicta concluditur. Propositionis autem Majoris

joris prior pars dicitur Antecedens, altera Consequens.

Syllogismus Hypotheticus est duplex: Conditionalis & Disjunctivus.

Conditionalis vel Connexus est Syllogismus Hypotheticus, in qvo Major Propositio est conditionalis, includens totam qvæstionem. V. G. Si Petrus est homo, erit bipes. Atqvi est homo, E. est bipes.

Ejusmodi sunt duo: I. Quando ponitur Antecedens, ut ponatur Consequens, ut:

Si avis volat, habet pennas.
Sed volat.
E. habet pennas.

(a) *In propositionibus reciprocis potest assumi consequens, & Antecedens concludi, ut: Si corpus mobile est, naturale est: Atqui corpus naturale est, E. mobile est.*

Secundus Modus est, qvando tollitur Consequens, ut tollatur Antecedens, ut:

Si sol ortus est, dies est,
Sed non est dies.
Ergò Sol non est ortus.

(b) *In reciprocis licet etiam argumentari à destructione Antecedentis ad destructionem consequen-*

sequentis, ut: Si Leo est, rugit. Sed non est Leo. E. non rugit.

Syllogismus Disjunctivus est Syllogismus Hypotheticus, in qvo Major propositio est disjunctiva (Sc. ex repugnantibus, non verò subordinatis.)

Fit itidem duobus Modis. Nam primo tollit unum, & reliqvum concludit, ut:

Aut fide justificamur, aut operibus.
Sed non operibus.
Ergo fide.

Secundo ponit unum, & tollit reliqvum, ut:

Aut fide justificamur, aut operibus.
Sed fide.
Ergò non operibus.

Ponere verò est ita repetere in Assumptione alteram propositionis partem, sicut erat in ipsa propositione dispositа, affirmantem affirmatè, negantem negatè.

Tollere est specialiter contradicere, hoc est qvod in propositionis aliqva parte affirmatur, negare; & qvod negatur, affirmare.

CAP. VI.

De Reliqvis Speciebus Argumentationis.

ENTHYMEMA est Syllogismus imperfectus, cui aliqua præmissarum deest. Constat duabus partibus: Propositione unicâ, qvæ dicitur Antecedens; & Conclusione, qvæ Consequens.

Utra autem præmissarum desit, hoc modo scire potes: Si Subjectum conclusionis non apparet in Antecedente, tum deest Minor Propositio: Si prædicatum non apparet, tum deest Propositio Major, ut:

Animal sentit.
E. Homo sentit.

Hic deest Propositio Minor, qvia subjectum conclusionis non apparet in Antecedente: Sed cum dico.

Homo est animal.
E. Homo sentit.

Tum deest Major, qvia Prædicatum conclusionis non apparet in Antecedente.

INDUCTIO est, cum ex pluribus singularibus, vel particularibus, elicitur generalis conclusio.

Non

Non autem necesse est omnia singularia adducere, sed satis est præcipua adduxisse, addita hoc formula: Nec ullum dissimile exemplum reperitur, ut: *Vinum Hispanicum, Gallicum, Creticum Ungaricum, Rhenanum calefacit; nec datur dissimile exemplum. E. omnia Vina calefaciunt.*

EXEMPLUM est argumentatio, qvâ probamus: Prædicatum inesse subjecto per aliqvod simile Subjecto, ut: *Catilina dedit pœnas motæ seditionis, Ergo & alii conjurati dabunt pœnas.*

SORITES est argumentatio pluribus propositionibus constans, in qvâ prædicatum primæ Propositionis fit Subjectum in secunda, secundæ in tertia, donec in conclusione primum subjectum, cum postremo Prædicato connectatur, & ita concludatur, ut:

Homo est animal.
Animal est vivum corpus.
Corpus vivum est Substantia.
Ergo homo est Substantia.

Hæc Argumentatio nititur regulâ illâ Anteprædicamentali.

Cum alterum de altero prædicatur tan-

qvam de subjecto, tum qvæcunqve de prædicato dicuntur, eadem qvoqve de subjecto dicuntur.

DILEMMA est argumentatio è duobus contrariis, qva sic asserimus nostra, aut impugnamus aliena, ut qvamcunqve partem ad versarius eligat, causa cadat, ut: *Christus Joh. 18. Aut benè locutus sum, aut malè: Si benè, cur me cædis? Si malè, testare de malo.*

Est autem necesse, ut Contraria in Dilemmate sint Immediata. Nam si mediata fuerint, non firmiter concluditur.

PARTIS COMMUNIS.

LIBER PRIMUS,

De

DEMONSTRATIONE,

ET QVÆ ILLIS SUNT AFFINIA.

Hactenus fuit Communis Logicæ Pars; sequitur Propria, quæ agit de Syllogismi Materiâ, eaq; triplici: Necessaria, Probabili & Falsâ: unde etiam triplex Syllogismus

gismus Materialis oritur : Apodicticus sive Demonstrativus, Dialecticus sive probabilis, Sophisticus sive Falsus.

CAPUT I.

De Materia Demonstrationis.

DEMONSTRATIO est Syllogismus scientiam pariens. In Demonstratione duo præcipuè consideranda sunt : Materia & Divisio.

Materiam constituunt Termini & Propositiones. Termini tres sunt : Minor, Major & Medius : *hoc est*, Subjectum, Affectio & Causa. Dicuntur aliàs à Logicis tria Præcognita, qvod de ipsis certæ προγνώσεις (præcognitiones) habeantur.

De Subjecto duo sunt præcognoscenda 1. Qvòd sit, esse possit in rerum natura. 2. Qvid sit, i. e. qvid Nomen significet.

De affectione præcognoscendum, Qvid sit, i. e. qvid vocabulum significet.

De Causis præcognoscendum, 1. Qvod sint verè 2. Qvid vocabula significent.

Minor terminus vel Subjectum est id, cui affectio inest, & de qvo ea per principia vel causam demonstratur. *Græcis πρῶτον πάθος, πρῶτον δεκτικὸν.*

Major terminus vel affectio est proprium Accidens, qvod de subjecto proprio, cui inest, demonstratur. *Græce dicitur ἴδιον πάθος.*

Medius terminus vel Causa, vel Principium, est id, per qvod affectio de Subjecto demonstratur, qvod ei insit. *Græcè vocatur τὸ πρῶτον αἴτιον.*

E. G. Omne Materiatum est Quantum.
Omne corpus naturale est Materiatum.
E omne corpus naturale est Quantum.

Hic corpus naturale (Minor Terminus) est Subjectum, de qvo demonstratur Qvantitas, qvæ est Affectio ejus (Major Term.) Demonstratur autem de corpore naturali per τὸ Materiatum, qvod est causa proxima (Medius Term.) ob qvam Corpus naturale est & dicitur Qvantum.

Ex mutuâ horum terminorum connexione fiunt Propositiones demonstrativæ, qvæ qvales esse debeant, ostendunt illarum conditiones, qvæ partim pertinent ad affectionem Demonstrationis, partim ad facultatem in vestigandi & judicandi.

Prioris generis sunt qvinque:

I. Ut Propositiones sint veræ.

(Sc. Necessariò, & qvidem κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ. & καθόλου

II. Ut

II. Ut sint primæ & immediatæ.

Prima *propositio est, quando Prædicatum primò ineſt ſuo ſubjecto primo, & adæquato. E. G. Homo eſt rationalis. Hic ratio ineſt Homini tanquam primo, & adæquato ſubjecto.* Immediata *Propoſitio dicitur, quando Prædicatum immediatè cohæret cum ſuo ſubjecto, & tribuitur ipſi ſine alio medio interveniente, ut in ſuperiori Exemplo: Homo eſt rationalis.*

III. Ut sint notiores conclusione.

Tum quod ad naturam, tum quod ad cognitionem attinet.

IV. Ut sint priores conclusione.

V. Ut sint causæ (c) conclusionis.

(c) *S. Proximæ, & immediatæ.*
E G. Omne corpus naturale eſt mobile.
Omnis homo eſt corpus naturale.
E. Omnis homo eſt mobilis.

Concluſio hæc infallibiliter vera eſt, adeoq; ſcientifica: Qvia conſtat eſt ex præmiſſis 1. Veris 2. primis immediatis, 3. notioribus 4. prioribus. 5. & qvæ ſunt cauſæ concluſionis.

Poſterioris generis conditiones ſunt ipſi tres gradus Neceſſitatis, infimus καθ' ἑκάστου. medius καθ' αὐτὸ, *ſupremus* καθόλου.

De omni, κατὰ παντὸς est, Prædicatum non solùm (1) omni Subjecto, sed etiam (2) semper & (3) omni loco inest, ut: *Homo est bipes, Homo sentit.*

Per se, καθ' αὑτὸ est, cum Prædicatum Subjecto (1) toti non modò (2) semper & (3) ubique, sed etiam (4) perse convenit, ut: *Homo est animal. Homo est corpus.*

(*Vulgò statuuntur quatuor Modi PER SE. Primus est, quando Prædicata sunt de essentia vel definitione Subjecti. Secundus, quando Subjecta sunt de definitione Prædicati. Tertius, qui & modus existendi dicitur, quando Existentia prædicatur de Substantiis. Quartus, qui & Causandi dicitur quando causa vera prædicatur de suo Effecto proximo & necessario; vel contrà effectum dicitur de sua causa proximâ Vid. Jac. Mart.*)

Universale Primum, καθόλου πρῶτον est, cum Prædicatum inest (1) omni, (2) per se & quatenus tale, ac proinde cum eo (3) reciprocatur, ut: *Homo est rationalis.*

CAP. II.

De Speciebus Demonstrationis.

DEMONSTRATIO est duplex: Alia Primaria

Primaria διὸτι, *propter quid, vel cur sit*: alia Secundaria ὅτι, *Quod sit.*

Demonstratio διὸτι, est, qvæ docet affectionem inesse Subjecto, per proximam causam: qvod fit, cum medium est causa efficiens vel finalis prædicati ejus, qvod in conclusione ponitur:

Bar *Quicquid habet animam sensitivam præditum est tactu*
ba *Omne animal habet animam sensitivam.*
ra *E. Omne animal præditum est dicta.*

(Nota. In Majore est habitudo necessaria Effecti immediati ad suam causam proximam.

Præditum enim esse tactu, est Effectus animæ sensitivæ, qvâ cum disponitnr in Majore.

In Minore est habitudo necessaria, causæ proximæ ad subjectum adæqvatum: ut Animal disponitur cum Anima sensitiva; qvæ duo immediatè, & immutabiliter se mutuo respiciunt, tanqvam forma, & formatum: Et sic in Conclusione, effectus immediatus, seu Affectio adæqvata, demonstratur per illam causam proximam, de suo subjecto primo & adæqvato.

Item:

Item:

Bar *Quicquid debet esse animal sapientissimum, id frigidius & majus cerebrum habeat, necesse est.*
ba *Homo debet esse animal sapientissimum,*
ra *E. Homo cerebrum frigidius & majus habeat necesse est.*

Demonstratio, quòd non est unius generis; nam *vel* demonstrat Causam per Effectum proximum; qvod fit cum medium est effectus, causa est Prædicatum conclusionis, ut:

Bar *Quicquid moritur, ejus calor naturalis extinguitur.*
ba *Vegetantia moriuntur.*
ra *E. Vegantium calor naturalis extinguitur.*

Vel demonstrat effectum per causam remotam (necessariam tamen;) qvod fit, cum effectum est prædicatum conclusionis, causa remota est medium, ut:

Cam *Omnis facilè calvescens est calidi temperamenti.*
es *Eunuchi non sunt calidi temperanti,*
tres *E. Eunuchi non facilè calvescuni.*

Atqve ex his prior modus demonstrandi est adhuc præstantior, qvàm posterior; nam bene-

beneficio Regressus facillimè in Demonstrationem τῶδιὸ converti potest, putà, si major simpliciter convertatur & ex minore fiat conclusio, & conclusio rursus in locum minoris transferatur; ut in Syllogismo suprà posito:

Bar *Omne id, cujus calor naturalis extinguitur, moritur.*
ba *Vegetantium calor extinguitur.*
ra *E. Vegetantia moriuntur.*

Tantum de Demonstratione: cui cum affinis sit Definitio & Divisio, itemq; Methodus, de his quoq; aliquid hoc loco dicemus.

CAP. III.

De Definitione.

DEFINITIO est oratio, qva vel nomen interprætamur, vel qvid res sit, exponimus. Res autem, qvæ definitur, vocatur Definitur, & à Definitione non nisi ratione differt.

Definitio alia est Nominis, alii Rei.

Definitio Nominis est qvaliscunqve non falsa nominis, seu lingvæ, seu figuræ, seu phrasis interpretatio, ut: *Solstitium est Solis statio,*

ſtatio. Hujus vulgo aliqvot recenſentur Species, qvæ Grammaticæ magis ſunt, qvàm Logicæ, nec tamen ſunt absqve ſingulari uſu.

Definitio Rei eſt oratio, qvâ qvid res ſit, explicatur. Eſtq́; duplex: alia perfecta, alia Imperfecta.

Perfecta eſt, qvæ explicat rei genus & differentiam eſſentialiter. Eſtq́ve vel Subſtantiæ, vel Accidentis.

Definitio perfecta Subſtantiæ eſt, qvæ conſtat genere proximo & differentiâ ſpecificâ, ut: *Homo eſt animal rationale.* Dicitur Eſſentialis.

Definitio perfecta Accidentis eſt, qvæ conſtat genere, ſubjecto & causâ, eaq́ve aut efficiente, aut finali, ut: *Eclipſis eſt privatio luminis in Lunâ, propter terræ diametralem interpoſitionem ad Solem. Hic genus eſt*, Privatio luminis; *Subjectum eſt*, Luna; *cauſa externa eſt*, Interpoſitio terræ. Dicitur cauſalis.

Definitio Imperfecta eſt, qvæ naturam rei imperfectè explicat, hoc eſt, qvalicunq; modo, ita tamen ut intelligi, & ab aliis diſtingvi poſſit. *Dicitur aliàs Deſcriptio. Hæc ſumitur è variis locis, ut ex partibus, ex Accidentibus, ex uſu, ex effectis, ex comparatis, ex oppoſitis, &c.*

Con-

Conditiones bonæ Definitionis hæ sunt:

I. Definitio constet verbis propriis, perspicuis & usitatis. *Non enim valet: Deus est Sphæra, cujus centrum est ubiq;, circumferentia nusquam.*

II. Definitio debet reciprocari cum suo definito, *hoc est*, non debet esse latior, neqve angustior suo definito. Latior est *cum dico: Homo est animal bipes*, vel *carens plumis*. Angustior est *cum dico: Exilium est privatio patriæ & functionum propter confessionem veræ doctrinæ.*

CAP. IV.

De Divisione.

DIVISIO est oratio, qvà totum in suas partes dividitur; Estqve itidem duplex: Nominis & Rei.

Divisio Nominis est vel æqvivoci, vel ambigui.

Nominis æqvivoci divisio est, cum nomen vel verbum in sua æqvivocata distingvitur, ut: *Libertas alia est Politica, alia Christiana.*

Divisio nominis ambigui est, cum oratio inte-

integra, qvæ ob verborum positum ambigua est, in suos diversos sensus distingvitur, ut: *Ajo te Æacida Romanos vincere posse.*

Divisio Rei alia est perfecta, alia Imperfecta. Perfecta est vel Generis in Species, vel Totius in Partes. Illa κατ' ἐξοχὴν Divisio dicitur, ut: *Animalium aliud est rationale, aliud irrationale:* Hæc speciatim Partitio, ut: *cum verbum Dei dividitur in Legem & Evangelium.*

Imperfecta est vel Subjecti in Accidentia, vel Accidentium per sua subjecta, vel Accidentis in Accidentia, vel Effectuum per suas Causas, vel Causarum per Effectus, vel rerum per objecta & circumstantias.

Requisita bonæ Divisionis.

I. Divisio debet cum divisio suo reciprocari, hoc est, non debet esse latior, neqve angustior diviso, ut: *Animal est homo vel bestia; Et quicquid est homo vel bestia, est animal.*

II. In divisione membra dividentia debent consentire cum toto, inter se verò dissentire, ut: *Homo dividitur in animam & corpus. Nam hæ partes (anima & corpus) consentiunt cum toto homine, quem constituunt, tanquam causa cum suo effectu: Dissentiunt verò inter se tanquam contraria. Anima enim immortalis*

talis nunquam potest esse corpus mortale, neq; corpus anima.

III. Divisio non faciat saltum, *hoc est, fiat in membra proxima & immediata.*

IV. Divisio constet membris pauciſſimis, &, si fieri potest, duobus.

V. Divisio, qvæ parit multas subdivisiones, intellectui & memoriæ obest.

CAP. V.

De Methodo.

METHODUS generatim accepta est habitus intellectûs instrumentalis ad veritatem docendam, & aliis proponendam nobis inserviens. Dividiturqve in Ordinem & propriè dictam Methodum.

Ordo est instrumentum, qvo res in disciplinis pertractandas antè vel post collocamus, ob meliorem disciplinarum illarum cognitionem.

Ordo est duplex: Universalis & particularis.

Universalis est, qvi integram respicit artem, qvæ tota illo disponitur. Hic rursum duplex est: Syntheticus vel compositivus, & Analyticus, seu Resolutivus.

Ordo Syntheticus est, qvi à principiis seu causis progreditur ad ea, qvæ constant ex principiis, ut fiat perfecta rerum cognitio. *Habet locum in disciplinis Theoreticis.*

Ordo Analyticus est, qvi à propositio ultimo fine progreditur ad prima principia vel media investiganda, qvibus finis perficitur. *Habet locum in disciplinis practicis & artibus.*

Ordo Particularis est, qvi tantùm partem disciplinæ alicujus respicit & disponit. Est qvæ itidem duplex: alius Thematis simplicis, alius conjuncti.

In tractatione Thematis simplicis hæc sunt observanda.

1. Adhibenda est explicatio nominis & distinctio, si sit ambiguum.

(Qvæstio, AN SIT, mox seqvi solet, si de illa dubitatio esse possit.)

2. Genus investigetur ex Prædicamentis.

3. Ponendæ sunt causæ, & qvidem forma ac materia in Substantiis. In Accidentibus verò universalibus, causæ efficientes & finales, objectum & subjectum: In singularibus etiam antecedentia, consequentia & reliqvæ circumstantiæ considerentur.

NOTA. In Substantialibus etiam thema-

tibus Efficiens & Finis, plenioris explicationis gratiâ, solent afferri.

4. Effecta & propria Accidentia enumerentur.

5. Constituatur. Definitio
6. Subjungatur divisio.
7. Addantur cognata.
8. Opposita.

Diligenter igitur videndum, utrum Thema simplex sit Substantiale an Accidentale; utrum universale, an singulare. Non enim omnia eodem modo tractantur.

In tractatione Thematis conjuncti hæc sunt observanda:

1. Ante omnia rectè constituatur controversiæ Status & Thesis, qvam tueri velis, affirmativa aut negativa.

2. Ex naturâ utriusqve extremi, *hoc est* Subjecti & Prædicati qværantur argumenta, qvibus thesis probetur; ac primò qvidem ponantur argumenta artificialia, postremo autem loco inartificialia, seu testimonia.

3. Addatur refutatio objectionum secundum regulas legitimæ solutionis.

4. Deniqve si ita videbitur, repetatur thesis probata, & colligantur *περάσματα*.

Methodus speciatim accepta est habitus intellectus instrumentalis, qvo illa probamus, qvæ per ordinem vel antè vel post posita sunt, idqve ideo, ut perfectam rerum cognitionem conseqvamur. Estqve duplex: Synthetica & Analytica. Illa nihil aliud est qvam Demonstratio διότι. Hæc Demonstratio ὅτι.

PARTIS PROPRIÆ

LIBER SECUNDUS.

De

DIALECTICA.

CAPUT I.

De Syllogismo Dialectico, & Locis Dialecticis in genere.

SYLLOGISMUS DIALECTICUS EST, QUI EX PROBABILIBUS CONCLUDITUR.

Sunt autem Probabilia τὰ δοξα, qvæ probantur aut (1) omnibus, aut (2) plurimis, aut certè

certè (3) sapientibus ; atqve iis vel omnibus, vel (4) plurimis, vel (5) iis qvorum spectata & perspecta sapientia est, ut : *Parentes amant suos natos. Par pari referendum. Animi bona meliora, quàm corporis. Anima hominis est immortalis. Mundus aliquando cœpit.* Hujusmodi probabilia inventa sumuntur qvidem è Philosophiâ & reliqvis disciplinis, sed Logica, tradit modum ea qværendi & discernendi in Locis Dialecticis.

Locus Dialecticus est sedes argumenti vel index, monstrans ex qvo fonte sumendum sit argumentum, qvo confirmanda est propositio, de qvâ dubitatur.

Loci Dialectici sunt duplices : Artificiales & Inartificiales.

ARTIFICIALES sunt, qvi argumenta suppeditant , qvæ Subjecto & Prædicato qvæstionis insunt , & artis beneficia inde eruuntur.

Artificiales sunt triplices : Interni , Conjuncti & Disjuncti.

LOCI INTERNI sunt, cum medium constituit essentiam Prædicati vel Subjecti, ut : *Genus, Species, Totum, Pars, Definitio.*

CONJUNCTI LOCI sunt, cum medium

naturali qvodam vinculo cum partibus qvæstionis coheret, ut: *Proprium, Accidens, Conjugata, Causæ, & Effecta.*

DISJUNCTI LOCI sunt, cum medium nullo vinculo naturali cohæret cum partibus qvæstionis, & petitur vel ex voce, ut: *Notatio Nominis*; Vel ex re, ut: *Comparata & Repugnantia.*

CAP. II.

De Loco Generis & Speciei.

QVid sit Genus & Species, in Prædicabilibus dictum est.

Locus autem GENERIS est, qvando argumentum vel medius terminus à genere ad speciem vel individuum arguendum sumitur.

Maximæ hujus loci sunt hæ sunt:

I. Qvod convenit generi per se (a) id convenit etiam Speciei & Individuo, ut:

Animal sentit,

Ergò & pisces sentiunt.

(a) *Sc. Universaliter. Nam aliàs quædam generi insunt particulariter, & disjunctivè, quæ non insunt speciei.*)

II. Qvod

II. Qvod non convenit generi, non convenit etiam ſpeciei, ut:

Nulla dona Dei ſunt contemnenda.
Ergo nec Philoſophia.

III. Cuicunqve non convenit genus, ei nec Species convenit, ut:

Plantæ non habent ſenſum.
Ergo nec tactum.

LOCUS SPECIEI eſt, qvando argumentum vel medius terminus à ſpeciei ad arguendum genus ſumitur.

Maximæ hujus loci ſunt:

I. Qvodcunqve convenit alicui ſpeciei, convenit etiam generi ex parte, ut:

Homo loquitur.
Ergo quoddam animal loquitur.

II. Qvodcunqve non convenit certæ ſpeciei, id neq; generi convenit, ſed ex parte, ut:

Talpa non videt.
E. quoddam animal non videt.

III. Qvod convenit omnibus ſpeciebus, etiam generi convenit, ut:

Homo, Equus, Leo ſentiunt.
Ergo animal ſentit.

IV. Qvod non convenit ulli ſpeciei, etiam generi non convenit, ut:

Neq; homo, neq; bestia est expers sensus.
Ergo nullum animal est expers sensus.

V. Cui convenit species, eidem & genus convenit, ut:

Justitia est habitus.
Ergo Justitia est qualitas.

NOTA. A Specie ad Individuum eodem modo concluditur, qvo à Genere ad Speciem. Regulæ igitur sic habent. Qvicqvid universaliter prædicatur aut negatur de Specie, idem etiam de Inviduo. Cuicunqve non convenit Species, non convenit Individuum.

CAP. III.

De Loco Totius & Partis.

LOCUS TOTIUS est, cum medius terminus sumitur à toto ad arguendam partem. Est enim Totum, qvod habet partes. Estqve duplex: Essentiale & Integrale.

Totum essentiale est, qvod constat ex partibus essentialibus, ut: *Homo constat ex corpore & animâ.*

Totum Integrale est, qvod constat ex partibus integrantibus. Estqve duplex: Homogeneum & Heterogeneum.

Totum

Totum Homogeneum est, qvod constat ex partibus idem nomen habentibus cum toto, ut: *Aqua est totum Homogeneum ratione guttularum idem nomen habentium.*

Totum Heterogeneum est, qvod constat ex partibus diversi nominis à toto, ut: *Corpus humanum constat ex capite, thorace, pedibus, manibus.*

Maximæ hujus loci sunt.

I. Posito toto, ponuntur partes: (principales) ut:

Animal est.
Ergo constat animâ & corpore.

Item:

Magistratus est custos totius legis.
Ergo & primæ & secundæ tabulæ.

II. Remoto toto, (simpliciter) removentur & partes, (sc.) Essentiales, Principales, & qvidem vel omnes vel aliqvæ, ut:

Non est animal. (tiente.
Ergo non est constat corpore & anima sen-

Item:

Non est domus.
Ergo non habet & fundamentum, & tectum, & parietes.

LOCUS PARTIS est, cùm medius terminus

nus sumitur à parte ad arguendum totum. Pars enim est, qvæ constituit totum. Estqve duplex: Essentialis & Integralis.

Pars Essentialis est, qvæ continetur sub toto essentiali, ut: *Corpus & anima sunt partes hominis essentiales.*

Pars Integralis est, qvæ continetur sub toto integrali. Estqve duplex: Homogenea & Heterogenea.

Pars Homogenea est, qvæ est ejusdem nominis cum toto, ut: *qualibet auri, argenti, aquæ, sanguinis particula vel gutta dicitur aurum, argentum, aqua, sanguis.*

Pars Heterogenea est, qvæ est diversi nominis à toto, *ut in corpore humano caput, manus, pedes.* Estqve duplex: Principalis & minus principalis. Illa est, sine qvâ totum esse neqvit: *ut sunt caput, cor, ventriculus, jecur, pulmones in corpore humano.* Hæc est, qvæ abesse potest absqve interitu Totius, *ut sunt digiti, brachium, pes, &c. sine quibus homo esse potest.*

Maximæ hujus loci hæ sunt?

I. Positis partibus omnibus, iisqve debito modo unitis, ponitur totum necessariò, ut:

Habet corpus humanum & animam rationalem.

Ergo

Ergo est homo.

Item:

Hic tenet Logicen, Physicen, & Ethicen:
Ergò hic Philosophiæ peritus est.

Hæc divisio Philosophiæ est Stoicorum, vide Ciceron. lib. 1. de Orat. c. 15.

II. Sublatis partibus omnibus, vel maximè principalibus, tollitur totum, ut:

Non habet animam rationalem.
Ergo non est homo.

Item:

Hic non est naturalis disciplinæ peritus,
Ergo non est Philosophiæ gnarus.

CAP. II.

De Loco Definitionis & Definiti.

LOCUS DEFINITIONIS est, qvando medius terminus sumitur à definitione. Qvid autem definitio sit, supra dictum est.

Maximæ hujus loci hæ sunt:

I. Qvicqvid convenit definitioni vel descriptioni, idem convenit definito; *& contra*: Qvicqvid definito convenit, idem convenit definitioni, ut:

Scientia justi & injusti est utilis.
Ergo Jurisprudentia est utilis.

Et

Et contra:

Jurisprudentia est utilis.
Ergo scientia justi & injusti est utilis.

II. Qvicqvid non convenit definitioni, non etiam definito convenit. *Et contra*: Qvicqvid definito non convenit, non etiam convenit definitioni, ut:

Contrectatio rei alienæ, quæ lucri causâ, fit invito domino, non est licita,
Ergo futurum non est licitum.

Et contra:

Futurum non est licitum.
Ergo nec contrectatio rei alienæ, quæ lucri causâ fit invito domino, est licita. (a)

(a) *Intellige duas priores Regulas de Definitione realiter, sive materialiter sumta; non formaliter, sive notionaliter.*)

III. Cui convenit definitio vel descriptio, eidem convenit definitum & descriptum: *Et contra*: Cui definitum convenit, eidem convenit & definitio, ut:

Concha est corpus animatum sentiens.
Ergo concha est animal.

Et contra.

Concha est animal.
Ergo concha est corpus animatum sentiens.

IV. Cui

IV. Cui non convenit definitio, ei etiam non convenit definitum. *Et contrà*: Cui non convenit definitum, ei nec definitio convenit, ut:

Psittacus non est animal loquendi facultate præditum.
Ergo psittacus non est homo.

Et contra.

Psittacus non est homo.
Ergo psittacus non est animal loquendi facultate præditum.

CAP. V.

De Loco Proprii.

LOCUS PRORII est, cùm medius terminus sumitur à proprio.

Ejus Maximæ sunt:

I. Posito proprio (propriè dicto, & absqve Methaphora) res ipsa ponitur, ut:

Hic lapis trahere potest ferum.
Ergo est magnes.

II. Remoto proprio res ipsa removetur, ut:

Satyrus non est capax disciplinæ.
Ergo non est homo.

CAP.

CAP. VI.

De Loco Accidentis.

LOCUS ACCIDENTIS est, qvando medius terminus sumitur ab accidente. Intelligitur autem hic illud tantùm Accidens, qvod accidit prædicato qvæstionis & cum eo probabiliter vel necessariò cohæret, sed ita, ut alterum non sit alterius causa.

Accidentium hujusmodi aliud est Antecedens, aliud Comitans, aliud consequens.

ANTECEDENS est, qvod rem ordine temporis antecedit, ut: *Horror & lassitudo ante febris ardorem.*

COMITANS est, qvod cum re simul existit, ut: *Eclipsis Lunæ & plenilunium.*

CONSEQVENS est, qvod rem ordine temporis consequitur, ut: *Lac sequitur conceptum, Malacia tempestatem.*

Maximæ:

I. Posito Antecedente ponitur Consequens necessarium, ut:

Lucifer ortus est.
Ergò mox dies erit.

II. Remoto Antecedente necessario removetur Consequens, ut:

Pomus

Pomus non floruit.
Ergo non feret fructum.

III. Posito Comitantium uno, alterum necessariò simul existens qvoqve ponitur, ut:

Ecclesia est:
Ergò crux est.
Eclipsis Solis est:
Ergò novilunium est.

IV. Remoto Comitandi necessariò res ipsa qvoqve removetur, ut:

Non est plenilunium.
Ergò non est Eclipsis Lunæ.

V. Posito Consequente ponitur Antecedens necessarium ut:

Hæc prius fert fructum:
Ergò floruit.

Item:

Mulier hæc peperit:
E. fuit gravida:

VI. Negato Consequente necessariò negatur Antecedens, ut:

Dies nondum imminet:
E. aurora nondum apparet.

Item:

Hic non patitur persecutionem:
E. non studuit piè vivere in Christo Jesu.

CAP.

CAP. VII.

De Loco Conjugatorum.

LOCUS CONJUGATORUM est, cum medius terminus sumitur à Conjugatis.

Sunt autem Conjugata ejusdem generis nomina & verba, qvæ ab uno aliqvo orta variè commutantur, & conjunguntur, in communi radice, qvæ vocatur Vox primitiva, ut: *Sapiens, sapientia, sapienter, sapio.* Hæc sunt duplicia; alia dicuntur Conjugata re & verbo; alia tantum sensu.

Re & verbo Conjugata dicuntur, qvæ nomine & significatione conveniunt, ut: *Fortis, fortitudo, fortiter.*

Sensu Conjugata dicuntur, qvæ significatione qvidem conveniunt, derivatione autem sun diversa, ut: *Somnus & Dormire.*

Maximæ hujus Loci sunt:

I. Qvod tribuitur uni conjugatorum, id tribuitur etiam alteri, (sc. suo modo) ut:

Medicina est utilis urbi.
Ergò & Medicus.

II. Qvod negatur de uno conjugatorum, negatur etiam de altero, ut:

Prophetæ mortui non sunt miseri.
Ergò nec mors ipsorum est misera.

III. Cui

III. Cui tribuitur unum conjugatorum, (Sc. Verorum, Logicorum, Realium,) ei tribuitur etiam alterum, ut:

Archias est adscriptus in civitatem,
Ergo est civis.

IV. Cui adimitur unum conjugatorum, eidem etiam adimitur alterum, ut:

Thersites non est formosus.
Ergo ineſt ei formositas.

V. Conjugatorum conjugata sunt consequentia, ut:

Opulentus non est felix.
Ergo opulentia non est felicitas.

VI. Duorum contrariorum conjugata sunt inter se contraria, ut:

Album & nigrum sunt contraria.
Ergo albedo & nigredo sunt contraria.

CAP. IIX.

De Loco Causarum.

LOCUS CAUSÆ est, cum medius terminus sumitur à causa ad probandum effectum.

Est autem Causa, cujus vi res est. Causæ

sunt qvatuor: Efficiens, Materia, Forma, Finis.

De Efficiente:

EFFICIENS est, à qva res est. Ejus variæ sunt distinctiones.

Primò Efficiens alia est Procreans, Conservans, & Corrumpens.

Procreans est, à qva res procreatur, ut: *Deus est causa procreans mundi.*

Conservans est, à qvâ res jam existens conservatur, ut: *Sal conservat carnes à putredine.*

Corrumpes est, à qvâ res vel aboletur vel labefactatur, ut: *Peccatum abolevit imaginem Dei.*

Maximæ:

I. Positâ causa Efficiente Procreante in actu ponitur effectus, (Sc. Si nihil impediat, aut prohibeat) ut:

Spiritus sanctus est in infantibus efficax.
Ergo infantes quoq; habent fidem.

II. Negatâ & sublata causa procreante, negatur & tollitur effectus, (Sc. Qvi est in fieri; non qvi est in facto esse.) ut:

Spiritus sanctus non est in hypocritis.
Ergo in illis non sunt virtutes Deo placentes.

III. Positâ causa Conservante sufficiente, res salva esse potest, ut:

Domi-

Dominus est custos hujus civitatis,
Ergo hæc civitas erit salva.

IV. Negatâ causa Conservante, res diu salva esse non potest, ut:

Leges in hac Republ. non observantur.
Ergo hæc Resp. non diu stabit.

V. Positâ causa Corrumpente non impedita, sequitur corruptio, ut:

In hac Republ. est discordia & luxus.
E. hæc Resp. non potest diu salva manere.

Secundò, Efficiens alia est Principalis, alia Minus principalis.

Principalis est, à qva effectus principaliter dependet. Eaqve est vel Solitaria, vel Socia.

Causa solitaria est, qvæ absqve aliis effectum producit, ut: *Solus Deus creavit mundum.*

Causa socia est, qvæ cum aliis concurrit in producendo effectu, ut: *Sol & homo sunt causæ sociæ generationis hominis.*

Minus principalis est, à qva effectus minus principaliter dependet. Estqve duplex, Impulsiva & Instrumentalis.

Impulsiva est, qvæ impellit principale a-

gens ad efficiendum. Hæc rursus est vel προηγουμένη, vel προκαταρκτική.

Causa προηγουμένη est, qvæ intus impellit ad faciendum aliqvid.

Causa προκαταρκτικὴ est, qvæ extrinsecus impellit ad faciendum, ut: *Redemptionis nostræ causa efficiens principalis est Deus, προηγουμένη ipsius gratia & misericordia, προκαταρκτικὴ nostra misera.*

Causa instrumentalis est, qvæ ad producendum effectum à principali causa assumitur. *Dicitur aliàs* Adjuvans & Administra; ut: *Instrumenta agriculturæ sunt ligones, aratra sarculi.*

Maxima.

I. Posita causa solitaria, ponitur effectus, ut:

Sol ortus est.
Ergo dies est.

II. Negatâ causa solitaria negatur effectus, ut:

Sol non est ortus.
Ergo dies non est.

III. Qvod tribuitur causæ solitariæ, id adimitur cæteris, ut:

Sola fides justificat.
Ergo non bona opera.

IV. Cau-

IV. Causa solitaria in rebus honestis singularem laudem, in turpibus atrocem pœnam meretur, ut:

Solus Christus nos redemit.
Ergo soli Christo debetur laus redemtionis nostræ.

V. Positis causis sociis sufficientibus (in actu) ponitur effectus, ut:

Hic naturali inclinationes fertur in Poësin, accurratè in eâ institutus est, & diu multumq; se in ea exercuit:
Ergo evadet bonus Poëta.

VI. Causa principalis non excludit minus principales (à virtute agendi; itemqve ab effectu,) ut: N. V.

Deus justificat.
Ergo fides non justificat.

VII. Positâ causa impulsivâ probabile est poni effectum, ut:

Pamphilus amat Glycerium.
Ergo ducet eam.

VIII. Positis instrumentis effectum esse potest, (Si nihil sit, qvod actionem instrumenti impediat.) ut:

Utitur medicamentis.
Ergo convalescet.

IX. Remotis instrumentis necessariis removetur effectum, ut:

Non habeo atramentum, neq; pennam, neq; papyrum.

Ergo non possum scribere.

Tertio, causa Efficiens vel per se efficit, vel per accidens.

Efficiens per se est, qvæ suâ facultate efficit. Estqve duplex: Naturalis & Voluntaria.

Naturalis est, qvæ ex insitâ vi naturæ agit & unum certum effectum producit, ut: *Ignis naturaliter calefacit, aqua humectat, &c.*

Voluntaria est, qvæ ratione & consilio agit, ita ut etiam possit non agere, ut: *Cicero potuit partes Pompeji sequi, & non sequi.*

Efficiciens per accidens est, qvæ externâ facultate efficit, ut: *Piscatio fuit causa per accidens piscatoribus Milesis inveniendi aureum tripodem.* Sic *Febris est causa per accidens temperantiæ.*

Maximæ:

I. Positâ causâ nazurali (sufficienti) & non impeditâ, si sit admota materia, (sc. Idonea, & qvæ actionis causæ naturalis possit esse capax) necessariò (sc. Necessitate Physica seu Naturali) seqvitur effectus, ut:

Ignis

Ignis est admotus stipulæ.
Ergo illam uret.

II. Posità causa voluntaria non necesse est poni effectum, (qvia Actio potest suspendi.) ut: N. V.

Latrones volunt interficere mercatorem:
Ergo certò eum interficient.

III. A causis per accidens non valet consequentia, ut: N.V.

Febris affert temperantiam:
Ergo Febris est bona.

De Materiâ.

MATERIA est, ex qva res fit, ut: *ex corio fit calceus*; *ex semine planta*; *ex aqua glacies.*

Materia vel propriè ita dicitur, vel per analogiam.

Materia propriè sic dicta est, qvam modò definivimus, & dicitur materia *ex quâ.*

Materia per analogiam dicta est vel materia *in quâ*, vel materia *circa quam.*

Materia in qva nihil aliud est, qvàm subjectum inhæsionis, sive subjectum accidentium, ut: *Lapis est materia formæ insculptæ.*

Materia circa qvam nihil aliud est, qvam subjectum attributionis, sive objectum, cir-

ea qvod aliqva res versatur, ut: *Physici materia est corpus mobile. Virtutes sunt materia laudis; & vitia materia reprehensionis.*

Maximæ hujus loci sunt:

I. Positâ materia possibile est materiatum poni, ut:

Sutor habet carium.
Ergo potest consuere calceos.

II. Negata materia, (permanente, & essentiali) negatur materiatum, ut:

Faber non habet ferrum.
Ergo non potest conficere gladium.

III. Qvod tribuitur materiæ, (essentialiter) tribuitur etiam materiato, (a) ut:

Lignum est carioſum.
Ergo mensa qvoq; carioſa futura est.

(a) *Sc. Quâ est Materiatum: h. e. non quà simul à formâ, sed quà à Materia dependet.*)

IV. Qvod adimitur materiæ, adimitur etiam materiato, ut:

Corium non est bonum.
Ergo nec calceus inde bonus fieri potest.

V. Cui tribuitur materia, (c) ei & materiatum tribuitur, ut:

Pygmæi habent verum corpus humanum,
Ergo sunt homines.

(b) *St.*

(b) *Sc. Ex QVA; non INQVA, aut CIRCA QVAM. 2. Sensilis, non intelligibilis. 3. & cursu ordinario non extraordinario:*

VI. Cui adimitur materia, ei & materiatum adimitur, ut:

Satyri non habent verum corpus humanum.
Ergo non sunt homines.

De Formâ.

FORMA est qvæ dat esse rei, ut: *Viventis forma est anima; corporis, trina dimensio.*

Maximæ:

I. Qvod affirmatur de Formâ, affirmatur & de Formato, (a) ut:

Anima rationalis sapit,
Ergo & homo.

(a) *Sc. Non absolutè & simpliciter, sed secundum quid; V. G. Non valet Consequ. Anima est immortalis, E. & homo est immortalis.*

II. Qvòd negatur de Formâ, negatur & de Formato, ut:

Virtus non est reprehendenda.
Ergo nec boni viri.

III. Cui tribuitur Forma, ei etiam tribuitur Formatum, ut:

Christus est in formâ Dei & hominis.
Ergo est verus Deus & homo.

IV. Cui adimitur Forma, ei etiam adimitur Formatum, ut:

Spongia non habet rationem.
Ergo non est homo.

De Fine.

FINIS est causa, cujus gratia res est.

Finis variæ sunt distinctiones.

Primò, Finis alius est Finis ☞, alius Finis ☜

Finis Cujus est id, cujus consequendi gratia aliquid fit, ut: *Finis ☞ medicinæ est sanitas.*

Finis Cui est id, cui Finis Cujus adaptatur, vel in cujus gratiam aliquid fit, ut: *Finis ☜ medicinæ est ægrotus, cui sanitas destinatur.*

II. Alius Finis est universalis, alius Particularis.

Universalis est, ad quem omnes omninò res totius universi tendunt, ut: DEUS & *gloria Dei.*

Particularis est, ad quem unaquæque res in suo genere tendit, ut: *Solis finis universalis est, illustrare gloriam Dei; Particularis est, afferre diem.*

III. Finis alius est Principalis, alius Minus Principalis.

Principalis finis est, qui primariò ab efficiente intenditur.

Minus

Minus Principalis, qvi secundariò ab efficiente intenditur, ut: *Belli finis Principalis est Pax, minus principalis, Victoria.*

IV. Finis alius est internus, alius externus.

Internus finis est, qvi semper necessario in effectu producendo reqviritur, ut: *Finis internus Logicæ est Syllogismus.*

Externus finis est, qvi etiam abesse potest, stante effectu, ut: *Finis externus Logicæ est, ut veritatem cognoscamus.*

Maximæ:

I. Cujus finis bonus est, (*a*) idipsum qvoqve, qvod destinatum est ad finem, bonum est, ut:

Sanitas est res bona:
Ergo & Medicina.

(*a*) *Sc. in licitis & bona forma factis: vel intellige bonum per se, non per accidens.*

II. Cujus finis malus est, (*b*) idipsum qvoq; qvod destinatum est ad finem, malum est, ut:

Vota dives facta sunt impia.
Ergo & peregrinationes propter hujusmodi vota suscepta sunt impia.

(*b*) *Intellige finem per se intentum, essentialem, & primarium.*

III. Posi-

III. Posito fine ponuntur etiam ipsa destinata seu media(c)ad finem, ut:

Petrus expetit eruditionem.
Ergo & studium ac laborem suscipit.

(c) *Sc. 1. Vera. 2. Necessaria, & Essentialia: In Accidentalibus verò, & minus necessariis, non valet consequentia.*

IV. Remoto vel sublato fine principali, removetur & tollitur ipsum qvoqve medium, ut:

Turcæ fastidiunt literas.
Ergo & studium earum non suscipiunt.

V. Propter qvod unum qvodqve tale est, vel expetitur, idipsum magis tale est vel expetitur(e)ut:

Avarus appetit navigationem propter pecuniam.
Ergo pecuniam magis appetit.

(e) *Valet de Fine Universaliter. Item: In Causis sufficientibus, totalibus, per se.*)

CAP. IX.

De Loco Effecti.

LOCUS EFFECTI est, cum medius terminus sumitur ab Effecto vel Causato.

Est

Est verò Effectum id, qvod ex causis existit, (dicitur aliàs Causatum.)

Maximæ hujus loci sunt:

I. Posito effectu, necesse est causam esse (a) vel fuisse, (b) ut:

Domus est.
Ergo architectus fuit.
(a) *ESSE, sc. in Causis permanentibus.*
(b) *FUISSE, sc. in Causis transeuntibus.*

II. Sublato effectu tollitur etiam causa tàm necessaria, qvàm sufficiens, ut:

Hic non est calor.
Ergo quoq; non est ignis.

III. Cujus effectus bonus est, id non potest esse toto genere malum, (nisi sit effectus bonus per accidens) ut:

Eruditio honesta & utilis est:
Ergo & Schola & institutio.

IV. Cujus effectus malus est, id toto genere bonum esse non potest, ut:

Ex hoc agro non nascuntur fruges bonæ.
Ergo nec fundus bonus est.

V. Nullus effectus excedit virtutem suæ causæ, ut:

Caliditas aquæ proficiscitur ab igni.
E. aqua non est magis calida quam ignis.

CAP.

CAP. X.

De Loco Nationis & Notati.

LOCUS NOTATIONIS est, cum medius terminus sumitur à notatione.

Est autem Notatio nominis nihil aliud, qvàm interpretatio vocis è suâ origene.

(*Nomen ex sua origine interpretari, Logicè est nihil aliud, quà indicare argumentum, ex quo sumta sit impositio alicujus nominis. Fit igitur Notatio HOMINIS, si dicam*, Hominem *si dici ab* Humo, *tanquàm à Materia*: Evangelistam, *ab* Evangelizando, *nomine sumto ab Effecto, Scheibl.*)

Ea est triplex: Vera, Apparens, Falsa.

Vera est, cum vox è sua vera origine declaratur ut: *Consul qui Reipubl. consulit.*

Apparens vel allusiva est, qvæ etsi vera non est, tamen suam habet in re declaranda utilitatem & jucunditatem, ut: *Testamentum, quasi testatio mentis.*

Falsa est, qvæ nulla planè ratione nititur, & in Regulas grammaticas apertè impingit; ut: *cum Propheta dicitur à pro & fando; Sabbathum à* Ϛαββάζειν, *quod est convivari.*

Maximæ hujus loci sunt:

I. Cui convenit (*a*) Notatio nominis, eidem qvo-

qvoqve nomen convenit. *Et contrà*: cui nomen convenit, eidem convenit Notatio, ut:

Christus salvat populum à peccatis:
Ergò rectè dicitur Salvatur.

Item:

Hic est Propheta:
Ergo prædicit futura.

II. Cui notatio (a) non convenit, eidem nec nomen convenit. *Et contra*: Cui nomen non convenit, eidem nec Notatio, ut:

Nero non auget Imperium:
Ergo Nero non rectè dicitur Augustus.

Item:

Non rectè dicitur Consul.
Ergo non consulit Reipublicæ.

(a) *Regula intelligenda est, de Notatione Vera, apposita, & conveniente; non de ficta, falsa, aliena, & inepta. Scharff.*

III. Qvod Notationi convenit, id convenit etiam nomini. *Et contra* Qvod nomini convenit, id etiam convenit Notationi, ut:

Studium sapientiæ est expetendum?
Ergo & Philosophia.

IV. Qvod Notationi non convenit, id qvoqve non convenit nomini. *Et contra*:

Qvod

Qvod nomini non convenit, non etiam convenit Notationi, ut:

Doctrina de Deo non est contemnenda,
Ergo nec Theologia.

CAP. XI.

De Loco Comparatorum.

LOCUS COMPARATORUM est, cum medius terminus sumitur è comparatis.

Sunt autem Comparata, qvæ inter se comparantur.

Id fit dupliciter: vel ratione Qvantitatis, unde Paria & Imparia; vel ratione Qvalitatis, unde Similia & Dissimilia.

De Paribus.

PARIA sunt, qvorum qvantitas est eadem, *hoc est*, qvæ eandem probabilitatem obtinent, ut: *Parva autorum scripta æquè corrumpunt bonos mores, ac prava colloquia.*

Maximæ:

I. Qvod uni parium convenit, idem convenit & alteri, (a) ut:

Uxor bona est à Domino.
Ergo & maritus bonus à Domino est.

(a) *Axio-*

(a) *Axioma hoc intelligendum est de* PARIBUS *in quantum, & quoad sunt* PARIA, *h.e. respectu Tertii in quo comparantur. Extra hoc non valet consequentia.*)

II. Qvod uni Parium non convenit, idem nec alteri convenit, ut:

Pater non est irridendus.
Ergo nec mater erit irridenda.

III. Cui unum Parium inest vel convenit, eidem & alterum convenit, (c) ut:

Viro sapienti convenit tardus & gravis in-
Ergo & tarda oratio. (*cessus:*
(b) *Sc. Probabiliter, non necessario. Nam interdum aliter evenire potest.*)

IV Cui unum Parium non convenit, eidem nec alterum convenit, ut:

Virum bonum non decet delinquere spe impunitatis propositâ:
Ergo nec in aliorum delicta consentire virum bonum decet.

De Imparibus.

IMPARIA sunt, qvorum qvantitas non est eadem, hoc est, qvæ non æqvalem probabilitatem habent.

Suntqve duplicia: Majora & Minora.

MAJORA sunt, qvorum major est qvan-

titas, hoc est, qvæ Conjunctionis suæ cum aliqvo majorem habent probabilitatem, qvam alterum cum eodem aut alio comparatum. Ducuntur hinc tantum argumenta Negativa.

Maximæ:

Si id qvod magis probabile videtur esse, non est verum, multo minùs id, qvod minùs probabile est, verum erit, ut:

Angeli non sciunt diem extremi judicii:
Ergo multò minùs homines.

MINORA sunt, qvorum minor est qvantitas, hoc est, qvæ conjunctionis suæ cum aliqvo minorem habent probabilitaten, qvam alterum cum eodem aut alio comparatum. Ducuntur hinc tautum argumenta affirmativa.

Maximæ:

Si id qvod minùs probabile videtur esse, verum est, multo magis id; qvod magis probabile est, verum erit, ut:

Licet servare bovem Sabbatho:
Ergo multò magis hominem.
De Similibus & Dissimilibus.

SIMILIA sunt, qvorum qvalitas est eadem.

DISSI-

DISSIMILIA sunt, qvorum qvalitas est diversa.

Est autem Similitudo alia brevis & contracta, alia plena & explicata.

Brevis similitudo est, qvæ uno penè verbo concluditur, ut: *Homo est similis bullæ.*

Plena est, qvæ suis partibus, protasi & apodosi constat. Hæc rursus est vel Continua, vel Disjuncta.

Continua est, qvando termini extremi in medio concurrunt, ut: *Sicut Magistratibus Leges, ita Populo præsunt Magistratus.*

Disjuncta est, qvando termini qvatuor reipsâ distingvuntur, ut:

Scilcet ut fulvum spectatur in ignibus aurum
Tempore sit duro est inspicienda fides.
Maximæ hujus loci hæ sunt:

I. Qvod uni similium convenit, idem convenit & alteri, (a) ut:

Bovi triturranti datur pabulum.
Ergo & docenti dandus est victus.

Item:

Qvod in corpore est oculus, illud in anima ratio.
Atqui corpus oculis gubernatur.
Ergo animus ratione gubernandus est.

(a) *Intelligatur Axioma de* SIMILIBUS, *quà talia sunt seu quatenus* SIMILIA *sunt, & secundum illud tertium in quo fit comparatio. Aliàs enim omne simile est etiam dissimile. Scheibl.*)

II. Qvod uni Similium non convenit, idem nec alteri convenit, ut:

Gubernator navis non sorte eligitur.
Ergo nec Magistratus sorte, sed consilio eligendus est.

Item:

Ut se habet nauta ad navem, ita se habet magistratus ad Rempublicam.
Atqui nauta in navi quiescere totam noctem non debet.
Ergo nec magistratus in Republ.

III. Dissimilibus dissimilia conveniunt, & dissimilium uni qvod convenit, non convenit alteri, ut:

Discipuli Christi non sunt instar Regum & magistratus.
Ergo non debent regnare.

CAP. XII.

De Loco Repugnantium.

LOCUS REPUGNANTIUM est, cum medius terminus sumitur à Repugnantibus.

Sunt

Sunt autem Repugnantia, qvæ uni & eidem, (a) respectu ejusdem, (b) eodem tempore, attribui neqveunt.

(a) *i. e. de uno numero subjecto.*

(b) *i. e. secundum easdem partes.*

Horum alia Disparata sunt, alia Opposita.

De Disparatis.

DISPARATA dicuntur repugnantia, qvorum unum pluribus simul (a) adversatur (b) ut: *Homo & Equus sunt disparata, cum non modò non, inùs Leo, Asinus, Canis & plurima alia homini, quàm equus homini repugnent.*

(a) *i. e. Ut nec magis, nec minus uni adversetur, quàm cæteris.*

(b) *i. e. Adversari vel repugnare potest. Verba enim ACTUS in definitionibus intelliguntur de potentia. Sunt igitur Disparata, quorum unum multis pariter adversatur: vel si ACTU repugnat uni tantum, pluribus tamen pariter repugnare potest.*

Maximæ:

I. Posito uno Disparatorum, removetur reliqva omnia, ut:

Plato est homo.
Ergo non est Equus.

Sensus Regulæ est: Disparata non possunt prædicari

dicari de eodem, in prædicatione essentiali. E. G. Eadem res non potest esse Grammatica & Dialectica. Unde Regius *hunc canonem sic limitat: De quo dicitur Unum Disparatorum abstractivè, ab illo removetur reliquum.*

II. Remoto uno Disparatorum non statim ponitur aliud, ut N. V.

Non est equus.
Ergo est homo.

De Oppositis.

OPPOSITA sunt repugnantia, qvorum unum uni tantum adversatur, ut: *Cæcitas opponitur tantùm visui, & Visus cæcicati.*

Oppositorum sunt qvatuor genera: Relata, Contraria, Privantia & Contradictoria.

RELATA sunt Opposita, qvæ mutuà affectione constant, ut: *Pater & Filius.*

Maximæ:

I. Posito uno Relatorum, ponitur alterum, ut:

Pater est:
Ergo habet filium.

II. Remoto uno Relatorum, removetur alterum, ut:

Dionysius Syracusanus cum Corinthi ludimagistrum ageret non habuit regnum.
Ergo tunc non fuit Rex.

III. Cui

III. Cui tribuitur unum Relativè oppositorum, ei respectu eodem non potest tribui alterum, ut:

Davus est Simonis servus.
Ergo non est ejus Dominus.

CONTRARIA sunt duæ qvalitates aut actiones, qvæ sub eodem genere plurimum distant, ut: *Albedo & nigredo sub colore. Virtus & vitium sub habitu.*

Contrariorum alia sunt Immediata, alia Mediata. *Immediata* sunt, inter qvæ nihil est medium, ut: *Rectum & obliqvum, Par & Impar, Liber & Servus.*

Mediata sunt, inter qvæ est medium qvid, ut: *Tepidum inter calidum & frigidum.*

Maximæ:

I. Posito uno contrariorum removetur alterum, (intellige Contraria in excellenti gradu) ut:

Hæc aqua est calida.
Ergo non est frigida,

II. Remoto uno Contrariorum ponitur alterum, ut:

Non est sanus.
Ergo ægrotat.

(NOTA. Hi Canones intelliguntur de Contrariis, non ut in mundo, sed ut in subjecto. Neqve enim, si calor in mundo sit, seqvitur non esse in eo frigus; & sic in aliis.)

III. Contrariorum sunt contraria consequentia (a) ut:

Hujus rei ortus bonus est:
Ergo ejus corruptio est mala.

(a) *Ut Conclusio ex hoc canone rectè inferatur, observandum est, ut contraria sint paria. Nam. V. G. ad calorem intensum, & frigus remissum, non sunt Contraria consequentia. Sic juxta Canonem sequentem. N. V. C. Mala opera damnant. E. Bona opera justicant. Non enim sunt paria Opera bona & mala.*

IV. Contrarium causarum contrarii sunt effectus, ut:

Fides justificat.
Ergo incredulitas damnat.

PRIVANTIA sunt opposita, qvorum unum est habitus, alterum privatio, ut: *Visus & Cæcitas, Vita & Mors.*

Maximæ:

I Privatio præsupponit habitum, (b) ut:

Appius est cœtus.
Ergo habuerit visum necesse est.

(b) In-

(b) *Intellige Privationem Logicam, non Physicam. Hæc enim prior est forma recipiendâ.*

II. Posito habitu tollitur privatio, (c) ut:

Hic est visu præditus.
Ergo non est cæcus.

(c) *Semper valet in Privantibus immediatis; at non in mediatis. Possunt enim in gradibus remissis Privantia esse simul, ut: In loco caliginoso parum lucis, & aliquæ tenebræ simul sunt, nempe in crepusculo.*)

III. Sublato habitu ponitur privatio, ut:

Hic homo non potest loqui.
Ergo est mutus.

IV. Positâ privatione tollitur habitus, ut:

Homerus est cœtus.
Ergo homerus non videt.

V. Sublâtaprivatione ponitur habitus, ut:

Hic Homo non est surdus.
Ergo potest audire.

CONTRADICENTIA sunt Opposita, qvorum unum negat, alterum affirmat in subjecto qvolibet, (a) ut: *Homerus est Poëta. Homerus non est Poëta.*

(a) *De quolibet subjecto negare, est negare de omni ea re, quæ non est contenta sub affirmato: E. G. Homo, non homo. Hic alterum eorum negat,*

nempe. Non homo, & negat in quolibet subjecto. Nam de quacunq; re non dicitur, quod sit homo, de ea prædicatur, Non homo, Scheibl.)

Maximæ:

I. Posito uno Contradicentium, tollitur alterum, ut:

Sol movetur.
Ergo falsum est Solem non moveri.

II. Remoto uno Contradicentium ponitur alterum, ut:

Mundum esse æternum falsum est:
Ergo verum est, mundum non esse æternum.

CAP. XIII.

De Loco Testimonii.

HActenus fuerunt Loci Artificiales: sequuntur jam INARTIFICIALES; qvi suppeditant argumenta, qvæ extra rem qvodammodo posita sunt, nec ex arte promuntur, sed foris ad probandum vel refellendum assumuntur. Vulgò dicuntur Testimonia. Suntq; duplicia: Divina & Humana.

De Testimonio Divino.

Testi-

Testimonium Divinum est, qvod Deum habet autorem; *cujusmodi est Scriptura sacra.*

Maximæ:

I. Ubi est divinum testimonium, (a) ibi fit certa & immota fides, ut:

Christus dicit; Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.
Ergo id certò est credendum.

(a) *Per Testimonium divinum intelligimus scripturam Canonicam, quam constat à sanctis Dei hominibus scriptam esse. Sub est enim & Demonstratio, per principia infallibilia, & quæ nullâ ratione vera refutari possunt.*)

II. Ubi divinum testimonium non est, in iis, qvæ ad salutem nostram pertinent, ibi nihil sequitur, ut:

Scriptura sacra non dicit, omnes homines esse electos, sed tantùm paucos.
Ergo non est credendum, omnes esse electos.

III. Qvod per bonam consequentiam è testimonio divino elicitur, id cum eo vim eandem obtinet, ut:

Solus Christus est caput Ecclesiæ, ut testatur Paulus, Coloss. 1.
Ergo Papa Romanus non potest esse caput Ecclesiæ.

De

De Testimonio humano.

Testimonium Humanum est, quod hominem habet autorem, *ut sunt Leges, illustres sententiæ, testes, &c.*

Maximæ.

I. Probato artifici in sua arte credendum est, ut:

Præstantissimi Astronomi statuunt, stellas esse rotundas, Solem esse majorem terrâ centies sexagies novies.
Ergo id est credendum.

II. A testimonio humano tantùm affirmantia argumenta ducuntur. *Non enim valet Consequentia, cum dico:*

Galenus nihil scripsit de scorbuto:
Ergo scorbutus non est.

TANTUM DE TOPICIS seu Locis Dialecticis.

PAR-

PARTIS PROPRIÆ.

LIBER TERTIUS.

De SOPHISTICA, VEL SOPHISTICIS ELENCHIS.

HActenus egimus de Syllogismis circa materiam veram, eamq; vel necessariam vel probabilem occupatis: sequitur ut de illo quoq; pauca subjiciamus qui circa materiam falsam versatur, dicitur q; Syllogismus Sophisticus.

CAPUT I.

De Syllogismo Sophistico in genere.

SYLLOGISMUS SOPHISTICUS est Argumentatio, qva ad imitationem veri falsum aliqvid concluditur.

Hæc doctrina duabus partibus absolvitur, quarum prima agit de ipsis Fallaciis, quibus Sophistæ utuntur, altera de ratione Fallacias cavendi & solvendi.

Fallacia duplex est, Formæ & Materiæ.

FALLACIA FORMÆ est, qvando canon aliqvis formæ sive consequentiæ Syllogisticæ violatur, ut:

Omne

Omne adulterium est puniendum.
Nullum furtum est adulterium.
Ergo nullum furtum est puniendum.

Hic vitium est in forma, qvia violatur secundus Canon primæ figuræ; In prima figura minor non debet esse negativa.

FALLACIA MATERIÆ est, qvando ex iis, qvæ speciem veri habent, vera tamen non sunt, aliqvid concluditur.

Hæc duplex est: In dictione vel verbis, & Extra dictionem, vel in rebus.

CAP. II.

De Fallaciis Dictionis.

FALLACIÆ DICTIONIS sunt sex, Æqvivocatio, Amphibolia, Compositio, Divisio, Accentus, & Figura dictionis.

ÆQVIVOCATIO, ὁμωνυμία, est Fallacia, qvæ aliqvem terminum æqvivocum suppeditat. *Ergo, Quot æquivocationis species, tot ejus fallaciæ, ut:*

Qui credit salvatur.
Diaboli credunt.
Ergo Diaboli salvantur.

AMPHIBOLIA est, qvæ decipit ambiguitate

tate totius orationis, geminam constructionem aut significationem admittentis, ut:

Qui arat littus, terram aratro sulcat.
Tu cum operam perdis, littus aras.
Ergo sultas terram aratro.

COMPOSITIO, σύνθεσις, est, qvæ verborum compositione insidias struere docet, ut:

Qui vivit jam, natus est.
Homo quinquagenarius vivit.
Ergo jam natus est.

DIVISIO, διαίρεσις, est, qvæ dividendo fallit, ut:

Duo & tria sunt paria & imparia.
Quinq; sunt duo & tria.
Ergo quinq; sunt paria & imparia.

ACCENTUS vel προσωδία est, qvæ insidias struit in rebus ad Prosodiam pertinentibus, ut:

Hæc sunt cubilia suum.
Pygmalion occidit Sichæum ante aras.
Ergo occidit eum ante suum cubilia.

FIGURA DICTIONIS, σχῆμα λέξεως est, qvæ non idem eodem modo interpretatur, ut:

Quod misti comedisti.
Crudas carnes emisti.
Ergo crudas carnes comedisti.

CAP.

CAP. III.

De Fallaciis extra dictionem.

FAllaciæ extra dictionem sunt septem: Fallacia accidentis, Fallacia à dicto secundum qvid ad dictum simpliciter, Ignoratio Elenchi, Petitio, Principii, Fallacia Consequentis, Fallacia à non causa ut causa, Fallacia plurium Interrogationum.

Fallacia accidentis, ὡς ἐπὶ τὸ συμβεβηκὸς, est cum qvidvis rei & accidenti similiter attribuitur, ut:

Quicquid affert temperantiam est bonum.
Febris affert temperantiam.
Ergo Febris est bona.

Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, ὡς ἐπὶ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς λεγόμενον, est qvando qvod simpliciter non inest, sumitur inesse simpliciter, vel contra; ut:

Qui natus est ex muliere, non est æternus.
Christus natus est ex muliere,
Ergò Christus non est æternus.

Ignoratio Elenchi, ὡς ἐπὶ τὴν ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου, est, cum non observantur leges seu proprietates contradictionis, ut:

Qui visu est præditus, videt.
Qui dormit visu est præditus.
Ergo qui dormit videt.

Peti-

Petitio Principii, τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, est qvando idem per idem, incertum per æqve incertum probatur, ut:

Constantinus Magnus dono dedit Pontifici Romano magnam Italiæ partem.
Ergo Pontifex Romanus magnam Italiæ partem jure possidet.

Fallacia Consequentis, τὸ ἑπόμενον, est qvando creditur converti posse consecutio, cum revera non possit, ut:

Qui pallet, diligenter studet.
Pamphilus pallet.
Ergo Pamphilus diligenter studet.

Fallacia à non causâ, ut causâ, τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, est, qvando affertur causa conclusionis, qvæ tamen non est causa conclusionis, ut:

Vino inebriantur homines.
Ergo vinum est malum.

Fallacia secundùm plures interrogationes, τὸ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν, est, qvæ ex duabus vel pluribus interrogationibus unam facit, & decipit, ut:

Qui opprimit libertatem patriæ, is jure interficitur.
Julius Cæsar oppressit libertatem patriæ.

Ergo Julius Cæsar jure fuit interfectus, & causa Pompeji fuit bona.

CAP. IV.

De Ratione Solvendi Fallacias.

RAtio solvendi Fallacias duplex est: Vera & Apparens.

Solutio vera est deceptionis à Sophista usurpatæ ostensio & Detectio.

Eaq; iterũ est duplex: Directa & Indirecta.

Directa Solutio est, cùm ad Syllogismum directè respondetur ostendendo & nominando fallaciam, sive in forma ea sit, sive in materia.

Modi ejus sunt qvinqve. 1. Rejectio vitiosæ consequentiæ. 2. Distinctio. 3. Infitiatio. 4. Limitatio. 5. Instantia.

I. *Rejectio vitiosæ consequentiæ* est, qvando vitium formæ ostenditur indicato canone Syllogistico, in qvem ejus forma vel dispositio peccet, ut:

Quædam delicta puniuntur à magistratu.
Ebrietas non punitur à magistratu.
Ergo ebrietas non est delictum.

Respondeo negando consequentiam, quia in secundâ figurâ major debet esse universalis.

II. *Distinctio* est ratio solvendi, qvando vel

vel ambas præmissas, vel alterutram ambiguam esse ostendimus, ut:

Vindicta est prohibita.
Bellum est vindicta.
Ergo bellum est prohibitum.

Respondeo per distinctionem: Vindicta est duplex, Publica & privata; de hac loquitur Major, de illa Minor.

III. *Infitiatio* est, cum majorem, vel minorem, vel ambas præmissas falsas esse asseveramus, ut:

Fucus non decet Philosophos. (*utilis.*
Eloquētia est fucus accersitus & ornatus in-
Ergo Eloquentia non decet Philosophos.

Respondeo per infitiationem ad minorem, quæ est falsa.

IV. *Limitatio* est, cum ostendimus propositionem aliquam, qv pro simpliciter vera habetur tantum secundum qvid verā esse, ut:

Qui accipit gladium, gladio peribit.
Magistratus accipit gladium.
Ergo Magistratus gladio peribit.

Respondeo per limitationem majoris: Qui accipit gladium non datum à Deo & Legibus, is gladio peribit. Sed ita minor erit falsa, quia Magistratus accepit gladium à Deo.

V. *Instantia* est, cum propositionem aliqvam, qvæ pro universali venditatur, negamus universalem esse, allegato particulari vel singulari aliqvo exemplo, qvo illa universalis propositio infringitur, ut:

Qui legatos violant, injustè faciunt.
Athenienses violârunt legatos, Spartanorum.
Ergò injustè fecerunt.

Respondeo per instantiam: Etiam Romanos violâsse legatos Hannibalis, quia cum Rege Macedoniæ conspiraverant.

Indirecta Solutio est, cum indirectè & obliqvè adpropositũ Syllogismũ respondetur. Ea fit qvinqve modis: 1. per retorsionem 2. κατ' ἀντιπροφορὰν, 3. per comparationem. 4. per objurgationem. & 5. per comparationem paris aut majoris. Ex quibus tres priores modi ad rem, posteriores duo ad personam diriguntur.

I. *Responsio per retorsionem vel in versionem* est, cum argumentum adversarii pro nobis facere ostendimus, eumqve proprio gladio jugulamus, ut:

Ulysses sepeliit Ajacem, Ergo occidit.
Respondeo per inversionem: Imò quia sepeliit, non occidit. Homicidæ enim solent citò abjicere cadavera, ne deprehendantur.

II Resp.

II. *Responsio κατ' ἀνθυποφοράν*, est, qvando objectio adversarii non solvitur, sed opponitur eidem alia fortior objecto. *Ut cum discipuli Christi reprehenderunt mulierem effundentem unguentum super caput Christi, quia potuisset pretio facto pauperibus dari, respondet Christus κατ' ἀνθυποφοράν* id est, *opponendo argumentum fortius: Pauperes habetis semper, me autem non.* Matth. 26.

III. *Responsio per Comparationem* est, qvando ridiculum & absurdum adversarii argumentum cum similiter absurdo comparamus; ut *si quis dicat*:

Septem sunt peccata
Ergo etiam totidem eruunt Sacramenta.
Respondetur, hoc perinde esse, ac si quis dicat:
Septem sunt Planetæ.
Ergo quoq; totidem sunt Sacramenta.

IV. Objurgatio, ἐπίπληξις, est, cum adversarium increpamus, qvòd vel contra pietatem & honestatem, vel contra manifestum sensum & experientiam disputat, *ut si quis in dubium vocet, An Deus sit colendus; an parentes sint diligendi; an nix sit alba; an ignis urat, &c. cum increpationibus potiùs quàm rationibus esse refutandum dicamus.*

V. *Comparatio* paris aut majoris est, cum aliquid personæ, aut parti nostræ objectum, simili objectione diluimus, ut: *Christus Pharisæis exprobrantibus, quod discipuli ejus illotis manibus ad mensam accederent, respondet: Cur & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?*

Solutio apparens est, qvando ad rem nihil respondemus, sed tantùm in speciem aliqvid dicimus, ne prorsus tacuisse videamur.

Id fit potissimum duobus modis: ἐξουθενισμῷ, Irrisione; & παρεκβάσει sive Digressione.

Irrisio est, cum adversarii rationes tanqvam leves eludimus, & ita ipsum irritamus, ut perturbatus sui ipsius & causæ obliviscatur; *ut apud Virgil. Menalcas ad adversarium:*

Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cerâ
Juncta fuit?

Digressio seu Excursio est, cum adversarium à scopo abducimus, ut aliis occupatus propositi obliviscatur. *Sic Cicero pro Cœlio, cum nihil responderet ad id, quòd domi venenum esset paratum ejus, & vitium in servo reperiretur, mox digreditur ad Q. Metelli mortem, & eum veneno sublatum fuisse per scelus Clodiæ subjicit.*

Capiti

(Capiti ult. lib. 1. Partis Prop. inserenda.)

EXEMPLUM tractationis thematis simplicis Substantialis, qvod est HOMO.

In hoc themate expendenda sunt

I. Nomen. *ad cujus explicationem facit*

(1) *Notatio s. Etymologia. Homo ab humo dicitur, tanquam â materiâ; quia è terra sumus, terna vescimur, &c.*

(2) *Homonymia s. distinctio ambigui. Plato & alii quidam nomen hominis parti ejus nobiliori, animæ videlicet, tribuerunt.*

(3) *Synonymia. Homo dicitur etiam absolutè Mortalis, & Terrigena.*

II. Genus. 1. *remotum, Substantia*; 2. *proximum, animal.*

III. Causæ *& quidem*

(1) *Efficiens*; *Deus, Sol, Parentes, Solum natale.*

(2) *Materia*; *Corpus organicum ex elementis compositum.*

(3) *Forma*; *anima rationalis.*

(4) Finis { *Summus*; *agnitio & cultus Dei*; / *Subordinatus*; *aeterna beatitudo.*

VI. Effecta: *quæ variant ratione vitæ hominum contemplativæ, activæ, factivæ.*

V. Propria accidentia; *quæ sunt Intellectus, Voluntas, Facultas loquendi, ridendi, numerandi, &c. it. nobilitas, dignitas, honor, potentia, immortalitas respectu animæ doctrina, &c.*

VI. Definitio: *Homo est animal rationis particeps.*

VII. Divisio. *Homo, cum infima species sit, in alias species non dividitur; sed in partes essentiales tamen & integrales.*

VIII. Cognata: 1. *Totus mundus, unde homo* μικρόκοσμος *dicitur*; 2. *Deus (ad cujus imaginem homo conditus est) & angeli*; 3 *bestiæ.*

IX. Opposita *s. Pugnantia, quæ sunt* 1. *respectu animæ, Bruta; respectu imaginis Dei, Diabolus*; 3 *respectu corporis, morbi, mors*; *it. animalia* μισάνθρωπα, *ut lupus, ursus, &c.*

EXEM-

EXEMPLUM thematis accidentalis, qvod est VIRTUS. (Confer. Melanchth. lib. 1. fin.)

Ad Virtutis naturam declarandam afferenda.

I. Nominis explicatio, *ad quam pertinet.*

(1) *Notatio. Virtus à viro dicitur, nimirum subjecto maximè proprio.*

(2) *Homonymia. Virtus* interdum *sumitur* pro quacunq; & (efficacia; *ut cum dicitur virtus epatis*: aliàs *pro habitu animi humanitus acquisito*: & tunc vel *specialiter fortitudinem significat*, vel *generaliter quamcunq; virtutem, ut h. l.*

(3) *Synonymia. Virtus Ciceroni vocantur Officia.*

II. Qvæstio, an sit. *Esse virtutem inde conspicitur, quia Scipio dissimilis est Antonio.*

III. Genus, *ex Prædicamento Qualitatis, est Habitus.*

IV. Causæ, *& quidem.*

(1) *Efficiens,* { *Remota; quæ est Deus.*
Propinqua: 1. εὐφυΐα, *bona indoles*;
2. μάθησις, *institutio & disciplina*;
3. ἄσκησις, *applicatio præceptorum Ethicorum & exercitatio.*

(2) *Subjectum, quod est anima hominis & animæ facultates, rationales & irrationales.*

(3) *Objectum, actiones humanæ, quatenus virtutis capaces sunt.*

(4) *Finis, εὐδαιμονία s. beatitudo.*

V. Effecta: *utilitas privata & publica, gaudium, tranquillitas vitæ, &c.*

VI. Propria accidentia: *Libertas, laus consentiens bonorum, favor, amicitia; & malorum respectu, invidia, odium, pericula.*

VII. Definitio: *Virtus est animi habitus informans mentem humanam, ut verum promptè cognoscat, honestumq; constanter eligat & faciat.*

VIII. Divisio: *Virtus alia est intellectualis, alia moralis.*

IX. Cognata: *Promptitudo facultatis cognoscentis & intellectivæ, naturalis & alacer impetus ad honestatem.*

X. Opposita: *Turpitudines & vitia, & virtutis simulatio.*

SYNO-

SYNOPIS LOGICÆ

Brevibus tabulis repræsentata, repetitioni & memorie inservientibus.

LOGICÆ partes sunt duæ:

(a) *COMMUNIS, quæ in tres libros, pro triplici operatione mentis, distributa agit.*

1. *De terminorum simplicium apprehensione; cui inserviunt tùm Prædicabilia, tùm Prædicamenta.*

2. *De terminorum connexione in Enunciationibus.*

3. *De Argumentatione.*

(b) *PROPRIA, quæ peculiariter agit de Propositionum & Argumentationum materiâ, eâq; vel*

1. *Necessariâ s. demonstrativâ; undè fit Syllogismus Apodicticus.*

2. *Probabili s. Topicâ; unde Syllogismus Dialecticus.*

3. *Falsa; unde Syllogismus Sophisticus.*

LIBER

LIBER PRIMUS absolvitur doctrina Prædicabilium & Prædicamentorum.

I.

Prædicabilia, quorum commune quasi fundamentum est Individuum, prædicantur de alio

(a) *In* QVID *nimirum.*
- *Genus, quod est vel Summum, vel Subalternum.*
- *Species, quæ vel Specialissima vel Subalterna.*

(b) *In* QVALE *nimirum.*
1. *Differentia.*
2. *Proprium quartimodi.*
3. *Accidens tùm Separabile tùm Inseparabile*

II.

Prædicamentorum doctrina affert

I. *Antepræd icamenta; eaq; sunt*

(1) *Definitiones Homonymorum, Synonymorum, Paronymorum.*

(2) *Divisiones Nominum (quæ vel In complexa vel Complexa) & Rerum.*

(3) *Regulæ de Homogeneis, Heterogeneis & Subalternis.*

II. *Ipsa Prædicamenta, quæ decem:*

(1) *SUBSTANTIA; cujus tenenda Definitio. Divisio, Proprietates.*

2. QVAN-

(2) *QVANTITAS*; *cujus itidem notanda Definitio, Divisio, Proprietates.*

(3) *QVALITAS*; *ubi Definitio, Species quatuor, Proprietates.*

(4) *RELATIO*; *ubi Definitio, Requisita, Proprietates.*

(5) *ACTIO*; (6) *PASSIO*: } *ubi Definitio & Proprietates*

(7) *QVANDO*. (8) *UBI*. (9) *SITUS*. (10) *HABITUS*.

III. *Post prædicamenta quinq; hæc sunt*

(1) *Oppositæ quæ quadrupliciter dicuntur.*
(2) *Prius*; *quod itidem quatuor modis dicitur.*
(3) *Simul*, *quod & ipsum quatuor modis dicitur.*
(4) *Motus*; *cujus sex sunt modi.*
(5) *Habere*; *quod octo modos agnoscit.*

LIBER SECUNDUS agit de Enunciatione; circa qvam tria considerando.

I. *Partes*; *eæq; sunt Nomen & Verbum, seu Subjectum & Prædicatum: quibus Copula interdum, tanquam necessarium requisitum, accedit.*

II. *Divisio*; *quæ fit ratione.*

(1) *Essentiæ*; *unde Enunciatio alia est simplex s. Categorica, alia Composita.*

(2) *Ca-*

(a) Categorica est vel
- 1. Finita / Infinita
- 2. Pura / Modalis,
- 3. Absoluta / Respectiva s. Exponibilis

quintuplex.

(b) Composita est vel Conditionalis, vel Copulativa, vel Disjunctiva.

(2) Quatitatis; unde Enunciatio alia Affirmativa, alia Negativa.

(3) Quantitatis; unde est Universalis, Particularis, Indefinita, Singularis.

(4) Materiæ; unde Enunciatio,
- Falsa
- Vera, quæ
  - Inusitata.
  - Usitata
    - Impropria
    - Propria
      - Necessaria
      - Contingens.

III. Affectiones tres:

1. Oppositio qvadruplex; Contraria, Contradictoria, Subcontraria Subalterna.

2. Conversio triplex; simplex, per accidens, per Contrapositionem.

3. Æquipollentia, de qua Canones septem.

LIBER

LIBER TERTIUS agit de Argumentatione, qvæ vel Perfecta vel Imperfecta.

I.

Perfecta argumentatio est Syllogismus; qui duplex:

I. *Simplex s. Categoricus; circa quem considerandæ*
(a) *Principia quatuor:*
(1) *Materialia s. partes, eæq;*
Remotæ, nimirum Termini tres; Major, Minor, Medius.
Propinquæ; nim. Propositio major, Assumptio, & Conclusio.
(2) *Formalia; quò pertinent*
Figuræ tres cum suis fundamentis;
Modi singularum Figurarum.
(3) *Regulativa, quæ sunt regulæ de Syllogismis* — *Generales.* — *Speciales.*
(4) *Perfectiva, quæ sunt* — *Reductio* — *Ostensiva s. Directa* — *Indirecta s. per Impossibile.* — *Expositio.*
(b) *Species peculiares, quæ sunt*
Syllogismus Infinitus.
Syllogismus Exponibilis.
Syllogismus Modalis.

II. *Compositus Syllogismus; qui est.*
Conditionalis, duorum modorum.
Disjunctivus, duorum itidem modorum.

II.

Imperfectæ argumentationis Species sunt Enthymema, Inductio, Exemplum, Sorites, Delemma.

PARTIS PROPRIÆ Libro Primo docetur Demonstrativus Syllogismus, & qvæ huic affinia.

I.

Demonstrativi Syllogismi considerandi.
1. *Materia, ea &c.*

(a) *Remota nim. Termini tres: 1. Minor, h. e. Subjectum; 2. Major, h. e. Affectio, 3. Medius, h. e. causa vel principium.*

(b) *Propinqua; nim. Propositiones, quarum conditiones docentur.*
Propriis requisitis quinque.
Gradibus necessitatis tribus.

2. *Species Demonstratio enim est duplex:*
τὸ διότι, *probans effectum per proximam causam Effic. vel Fin.*
τὸ ὅτι, *demonstrans vel*
1. Causam per effectum proximum.
2. Effectum per caus. remotam.

Affinia

II.

Affinia Demonstrationi sunt tria:

I. *Definitio,* { *Nominis*
quæ est { *Rei* { *Perfecta* { *Substantiæ*, *Accidentis.*
Imperfecta.

II. *Divisio,* { *Nominis*
quæ est { *Rei* { *Perfecta* { *Generis in Species.*, *Totius in partes.*
Imperfecta, quæ multiplex.

III. *Methodus, quæ est vel*

1. *Ordo,* { *Universalis* { *Syntheticus*, *Analyticus.*
is est { *Particularis, qui est thematis* { *Simplicis*, *Compositi.*

2. *Methodus speciatim accepta.*

LIBER SECUNDUS Partis Propriæ agit de Topicis s. Locis Dialecticis, qui vel Artificiales vel Inartificiales.

I.

Artificiales Loci sunt tredecim:
Genus; *ubi 3. regula.*

II. Species; *ubi* 5 *regulæ.*

III. Totum, { *Essentiale* / *Integrale* { *Homogeneum* / *Heterogeneum* } } *idq;* } *Regulæ sunt duæ*

IV. Pars, *quæ* { *Essentialis* / *Integralis* { *Homogenea.* / *Heterogenea* { *Principalis.* / *Minùs princ.* } } } *Regulæ duæ.*

V. Definitio; *ubi regulæ 4.*

VI. Proprium; *ubi regulæ 4.*

VII. Accidens, *quod triplex*; *Antecedens*; *Comitans*, *Consequens*, *Regulæ 6.*

VIII. Conjugata; *quòrum alia Re & voce, alia tantùm sensu. Regulæ 6.*

IX. Causæ; *& quidem*

(a) EFFICIENS, *quæ est*

2. { *Procreans* / *Conservans* / *Corrumpens* } *Regulæ sunt 5.*

Prin-

2. Principalis { Solitaria, Socia } — Minus principalis { Impulsiva { πρόηγ. πρόκατ., Instrumentalis } } — Regulæ sunt 9.

3. Per se { Naturalis, Voluntaria } — Per accidens. — Regulæ sunt 3.

(b) MATERIA, quæ sic dicitur

Propriè, Analogicè, eaq; est materia { In qua sive Subjectum, Circa quam, si ve objectum } — Regulæ sunt 6.

(c) FORMA; ubi regulæ 4.

(d) FINIS, cujus 4. distinctiones; est n.

1. Finis ὃ, Finis ὦ.
2. universalis, Particularis
3. Principalis, minùs principalis — Regulæ sunt 5.
4. Internus, Externus

X. Effectum; ubi regulæ 5.

XI. Notatio; quæ vel Vera, vel Apparens, vel Falsa. Regulæ sunt 4.

XII. Comparata, quorum alia in

- Quantitate, sunt quæ
  - PARIA; ubi regulæ 4.
  - IMPARIA Majora; ubi reg. 1.
  - IMPARIA Minora; ubi reg. 1.
- Qualitate, ut
  - SIMILIA
    - Contracta
    - Explicata
      - Contin.
      - Disjun.
    - Reg. sunt 3.
  - DISSIMILIA

XIII. Repugnantia; quæ sunt

- Dispara: ubi regulæ 3.
- opposita, eaq; sunt
  - Relata; ubi regulæ 3.
  - Contraria, quæ vel immediata vel mediata: ubi reg. 4.
  - Privantia; ubi reg. 1.
  - Contradicentia; ubi reg 2.

II.

Inartificiales Loci vulgò Testimonia dicuntur: eaq; sunt

1. *Divina; ubi reg. 3.*
2. *Humana; ubi reg. 2.*

LIBER TERTIUS Partis

Propriæ agit de Syllogismo Sophistico, idqve duobus membris;

I. *De ipsis fallaciis deprehendendis, seu de modis fallaciarum: sunt autem fallaciæ aliæ.*

Formæ

{ *Formæ s. consequentiæ Syllogisticæ.*
{ *Materiæ, eæq; sunt*

1. *In dictione; nimirum Æquivocatio, Amphibolia, Compositio, Divisio, Accentus, Figura dictionis.*

2. *Extra dictionem s. in rebus; nim. Fallacia Accidentis, Fall. à dicto secundum quid, Ignoratio Elenchi, Petitio principii, Fall. consequentis, Fall. à non causa, Fall. plurium interrogationum.*

II. *De ratione fallacias solvendi; hæc verò est duplex:*

(1.) *Vera, neq;*

{ *Directa, quæ quintuplex: 1. Rejectio consequentiæ, 2. Distinctio, 3. Limitatio, 4. Inficiatio, 5. Instantia:*
{ *Indirecta, quæ dirigitur*

1. *ad rem; ut Retorsio s. inversio ἀνθυπόφορα s. contrarii fortior illatio, & comparatio similiter ridiculi aut absurdi.*

2. *Ad personam; ut objurgatio & comparatio paris aut majoris.*

(2) *Apparens, quæ fit* { *Irrisione.*
{ *Digressione.*

INDEX CAPITUM

LIBRI I.

Partis Communis,

Prolegomena de Naturâ Logicæ.

CAP. 1. *De Prædicabilibus.* 2
2. *De Antepradicamentis.* 6
3 *De Prædicamentis.* 10
4. *De Post prædicamentis.* 22

LIBRI II.

CAP. 1. *De Enunciatione & ejus partibus.* 25
2. *De Divisione Enunciationum.* 27
3. *De Affectionibus Enunciationum.* 36

LIBRI III.

CAP. 1. *De Syllogismo Categorico & ejus partibus.* 42
2. *De Figuris & modis Syllogismorum.* 46
3. *De Regulis Syllogismorum.* 53
4. *De Reductione Syllogismorum & Expositione.* 55
Item: de Syllogismis Exponibilibus & Modalibus.
5. *De Syllogismo Hypothetico.* 63
6. *De reliquis Speciebus Argumentationis.* 66

LIBRI I.

Partis Propriæ.

CAP. 1. *De Materiâ Demonstrationis* 69

2. *De*

INDEX.

2. De Speciebus Demonstrationis. 62
3. De Definitione. 75
4. De Divisione. 77
5. De Methodo. 79

LIBRI II.

CAP. 1. De Syllogismo Dialectico, & Topicis in genere. 82
2. De Loco Generis & Speciei. 84
3. De Loco Totius & partis. 86
4. De Loco Definitionis. 89
5. De Loco Proprii. 91
6. De Loco Accidentis. 92
7 De Loco Conjugatorum. 94
8 De Loco causarum. 95
9. De Loco Effecti. 106
10. De Loco Notationis. 108
11. De Loco Comparatorum. 110
12. De Loco Repugnantium. 114
13. De Loco Tistimonii. 120

LIBRI III.

CAP. 1. De Syllogismo Sophistico in genere. 123
2. De Fallaciis Dictionis. 124
3. De Fallaciis extra dictionem. 126
4. De ratione Solvendi Fallacias. 128

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778715884/phys_0155
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778715884/phys_0158
DFG

I.

unt tria:

Substantiæ
Accidentis.
fecta.

Generis in Species.
Totius in partes.
fecta, quæ multiplex.

l

ntheticus
nalyticus.
s, qui *Symplicis*
atis *Compositi.*

im accepta.

US Partis Propriæ agit
s Dialecticis, qvi vel
el Inartificiales.

I.

edecim:
la.

K II. Spe

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778715884/phys_0159
DFG